

IN NOMINE S. S. C. T. E. ET INDIV
VIDUÆ TRINITATIS.

COLLEGIUM ETHICUM

Præcipuas Quæstiones & notabi-
liores controversias, in generali Philosophiæ

Practiciæ parte occurrentes;

TREDECIM DISPUTATIONIBUS

Discussas & enodatas exhibens.

In Regiâ Fennorum Universitate Aboënsi,

*A Selectioribus quibusdam Ingenijs & indefessis virtutum
Sectatoribus, juvenibus studiosissimis, institutum.*

DUCTORE

MICHAELE O. WEXIONIO

Jur. & Politices Professore P.

Eruditione et Prudentiâ

Spectatissimo viro; D

LAURENTIO BROCHIO

conterraneo suo animitâ

A B O Æ, dilecto, novis Conj

Inprimebat Petrus Wald/ Acad. Typog: 1649. honor

Negat necne Veriss. Possesse Jonas
hoc opusculo, animitâ grato

SERENISSIMO Atq; CELSISSIMO
P R I N C I P I
A C
D O M I N O

D N. C A R O L O
G U S T A V O,

Principi Palatino ad Rhenum in

Bavariâ, Duci Juliæ, Cliviæ & Montium; Comiti
Veldensi, Spanheimij, Markiæ & Ravvensburgi;
Domino in Ravenstein;

S. & Reg: Maj. statis Regnorumq; Sueciæ Exercituum
& Status Militaris, per Germaniam, Duci.

G E N E R A L I S S I M O.

*D*omino & Principi meo Clementissimo; Pacis Vindici-
ac Assertori felicissimo, composita, per tot lustra in Ger-
mania viscera horribiliter sevientia, arma; sanguinolent-
os cruoris fontes oclusos, restitutam Christiano orbi tran-
quillitatem, redditam suis Patriam, Patriæ suos; humilimo
affectu gratulan; Felicissimumq; Ejus Serenitati, post tot æ-
ternitate, dignissima trophæa, in Patriam reditum submissâ
animi devotione comprecor.

Ovo qd; sior.

CAROLE- GUSTAVE; En quantorum nomina Regum,
Omen habes, MAJUS Pacis adimplet opus.

Sereniss.

SERENISSIME PRINCEPS:

DOMINE *Clementissimè*

SERenus Celsitudinis Tuæ vultus; mihi, ante Annos tredecim in Patriam reduci, clementissimè exhibit9, Non minùs quàm heroicæ virtutes, PIETAS, JUSTITIA, TEMPERANTIA, FORTITUDO, MAGNIFICENTIA, MAGNANIMITAS, Principum quasi propriæ, aliæq; ejus generis, in hoc Opusculo declaratæ; Quib9 instar syderis fulgens, Orbem pacastu, has de morib9 dissertationes dedicandi fiduciã fecerunt. Luculenti9 quiddam Coelestis iste in me fa-

vor, & immortalia in gen9 huma-
num merita exigunt. Et aliàs, si
Altissimus annuerit, offeretur. Ac-
cipiant, intereà clementèr tenuia
hæcce, pacificatrices manus, hu-
milimè confido. DEUS Omnipoten-
s Sereniss:™ Celsit: T:™ ingenti
bono Patriæ sospitem restituat!
Majorumq; virtutibus ac meritis,
nec non totius imperij expectatio-
ni haud imparè, quàm diutissimè,
incolumem conseruet! ita sup-
plex voveo.

Sereniss: a Celsit: nis T. a.

Calend. Jano.,
1659.

Humilimus ac æternùm
devotus;

MICHAEL O. WEXIONIUS

Il. & Pol: Prof: ABOE.

ELENCHUS

Precipuarum Questionum hic decifarum.

D*isp. I.* An Ethica pars Philos: & in Scholis proponenda?
Thesi. 2. ad 18.

Quodnam verum Ethices Genus, Arsne, an scientia, vel Prudentia? Th. 19. ad 25.

Num Ethica, œconomica & Politica specie differant? Th. 25.

Præstantiorne Philosophia Theor: an practica? Th. 29. & seq.

MANTISSA. An in Practicâ Philos: locum habeat Abstractio?

D*isp. II.* Detur in humanis Summum Bonum? Th. 2. ad 14.

In quonam consistat summa felicitas? Th. 14. ad 16.

An voluptas S. B. th. 17. & 18. An habitus virtutis; vel actio?

Th. 19. ad 24.

Num sententia hæc Christiano digna? Th. 24. ad 28.

Boni divisiones quæ? Et malum quid? Th. 28. usq; ad fin.

D*isp. III.* Virtus unde dicta? th. 2. An in hominē cadat? th. 3. ad 6.

Quid sit virtus? th. 6. Et quæ ejus causa efficiens? Th. 10.

Quotuplices bonæ actiones? Th. 11. & c. Virtutis materia

quæ? Th. 15. & seqq.

Affectus qui 1? quotuplices; & an omnes mali? th. 23. 24. & c.

Forma virtutis quanam? th. 27. Finis quis? thesi: 29.

An quicquid ad felicitatem facit virtute pareat? th. 30.

COROLL: Num virtutes temperamenta sequantur?

D*isp. IV.* Sitne de PIETATE in Ethicis agendum? th. 2. ad 17.

Pietatis extrema & opposita vitia quanam? th. 18. & 19.

JUSTITIA quid? th. 20. & 22. Quotuplex th. 23. & c.

Qua proportione pœnæ infligendæ? th. 27. 28. 29. & c.

An personarum respectum justitia admittat? th. 35.

Num ulla usura honesta & licita? th. 37. ad finem usq;.

D*isp. V.* MANSUETUDO sine virtus? th. 2. 3. 4. & c.

an etiam ante lapsum locum habuerit? th. 6. 7. 8.

Liceat.

Liceatne irasci? th: 9. Et vindicta an licita? th: 16, &c.

Verbales injuriæ num tolerandæ? th: 26.

Utrum deterius vitium, lentitudo an iracundia? th: 29, &c.

An mansuetudo sit virtus homilitica? th: ult.

COROLL: Historia quid, quotuplex, & quomodo discenda?

Quæ causa longævitatis Patriarcharum antediluvianorum.

Disp. VI. Fortitudo quid? th: 2, 3. Objectū & divisiones? th: 4, 6, 7.

An virtus sit? th: 10. Et num in feminas cadat? th: 13.

Magisne in audendo quàm cavendo fort; eluceat? th: 14.

Mors bellica, adæquatū, an & alia, fort; objectum? th: 17, 19.

Num Martyres fortes? th: 21. Aut *Αυροχίτες*? th: 23, &c.

An mercenarij milites; vel qui desperabundi pugnant, fortes? thesi 26, 27.

In subitisne periculis major fort; Et an fortis fugiat? th: 28, 30.

Noceatne fortitudo forti; Et An injurias toleret? th: 33, & 35.

An temerario provocatori se sistere sit viri fortis? th: ult.

Disp. VII. Temperantia an peculiaris virtus; quid & quotuplex? thesi: 2, & 4.

Objectum quod; an dolores? An voluptates omnes? th: 6, 8.

Ad quodnam Decal: præcept: hæc virtus referenda? th: 14.

Eritne omnibus eadem cibi & potus mensura? th: 17.

Sintne convivia licita? Et an ulla ebrietas excusabilis? th: 20, & 22. &c.

Num quis invitus inebrietur? Et an in delectu ciborum temperantia consistat? th: 28, & 29.

Lupanaria & choreæ licitenè frequententur? th: 32, & 33.

Num vita hominis temperantiâ prolongari possit? th: final.

COROLL: 1. An Vinum ante diluvium usitatum?

2. An omnis historia indubie vera?

Disp. VIII. Liberalitas quid? An etiam in accipiendo? th: 1, 2, 3,

Objectum quodnam? & an quævis illicita acquisitio sit sfurtum? th: 12, & 13.

An multa dans pauca dante semper liberalior? th: 16, & 17.

Alio-

Alieno fadore parta dans an liberalis? An & ex alieno donans? th: 18, & 19.

Num cujus mendicanti dandum? Et an omnis dator liberalis? th: 20, & 23.

Prodigi qui? Avaritia quid & usura taxanda? th: 24, & 26.

Deteriorne avaritia an prodigalitas? th: 28.

Magnificentia an specie à liberalitate differat? quid sit; & opposita ejus quanam? th: 29, & 30.

Num in plebejos cadat? th: ult.

COROLL: An Joh. M. sine fundamento Succos à Magogo deducat? An Gorhæ & Scandiâ seu Scandinaviâ oriundi?

Disq. IX. Modestia quid? Et an honores appetere licitum? th: 2, 3, 4.

Academici honores an probandi? Propriane laudes allegandæ? th: 11, 15.

An ambitio, an nimia animi demissio deterior? th: 22, & 23.

Magnanimitas sitne virtus? Et an à Modestiâ specie differat? thes: 25, & 30.

Pugnatne Magnanimitas cum Christianâ humilitate? th: 36.

Magnanimus an quarumvis injuriarum immemor? th: 37.

Omnisne affectus exorat? Et fastus an pusillanimitate turrior? th: 39, & 44.

An magnanimus magis contemnat, an expetat honores? th: ult.

Disq. X. Homiliticæ virtutes unde dictæ? & quot sint? th: 1, 2.

An cum quovis conversandum? An monastica vita colenda? th: 3, & 8.

Sitne omne mendacium turpe & vitiosum? th: 10, & c.

An comis reprehendat? Urbanitas quid; & num virtus? th: 27, & 31.

COROLL: 1. Gynæcocratia fortissimis populis usitata. 2. In Sardanapalo 3. Monarchia non desit. 4. Multæ esse septentrione emigrationes factæ.

Disq. XI. Tabulæ, & ordo Præceptorum Decalogi th: 2, & 3.

An sola theologia malam concupiscentiam damnet? th: 4.

Semivirtus quid? An med; servet; quotuplex? th: 11, 12, 13, 16.

Conti-

Continentia & temperantia an idem? & an incontinens
sciens peccet? th: 19, & 21.

Incont: iræ an cupiditatis peior? Tolerantiane & fortit.
idem? th: 24, & 27.

Cont: & Toler: an difficiles? An bestiarum cont: & inconti-
nentes? th: 28, & 29.

An homo ad virtutes vel vitia proclivior? th: 31, &c.

COROLL: Suet-Gothica lingua originalis est.

Diff. XII. Heroica virtus quid & an sit? Et num in med: th: 2, 3, 4, 7.

An virtus vel ejus affectio? specie ne à com: differat? th: 8, & 9.

Num in quavis locum habeat? Et an necessaria? th: 14, & 15.

Puerisne & foeminis contingat? An solis pijs? th: 16, 17, 19, 21.

Martyres aut legitime nati, an & Heroës? th: 23, & 24.

Heroicæ virtutis opposita vitia quæ; Et utrum pejus?
th: 26, 27, & 29.

COROLL: 1. Heroibus suæ periculis. 2. Heroës sæpè graviter labuntur. 4. Heroës
militares γυναικων ἄρσενος. 4. Non semper Heroum filii noxæ.

Diff. XIII. An de amicitia in Eth: agendum? Quid & quos
tuplex? th: 1, 2, & 4, 5, 6.

Quæ præstantissimæ? Et an conversatio amic: necessar: th: 7, 8, 14.

Quot amici colendi? qualesq; magnatum erunt? th: 16, & 17.

An amico maxima bona optanda? th: 18.

Amare an amari præstantius? th: 19.

Potiusne viro bono an amico gratificandum? th: 21.

Iræ an amoris redintegratio sit? th: 24.

Num dissolvenda quandoq; amicitia? th: 26.

Cum fortunâ an mutanda? th: 27.

COROLL: 1. Illegit: Anton. pii amoris remedium. 2. Amicitia non
obliviscendum. 3. Opposita amicitia.

PARERG: Leges VVestgothica in rerum naturâ extant.

Candidus interpres, quicumq; es candidus, esto.

Admiratione, utilia hic multa, Juvenius habet.

COLLE-

COLLEGI ETHICI
DISP. I.

De
PHILOSOPHIÆ MORALIS
CONSTITUTIONE.

Respond. SVENONE PETRI TORELIO VVestrogotho,

THESIS. I.

EXhibuimus antehac Sceleton seu delineationem *Practicae philosophiae partis comunis & propriariæ*, iude eiusdem fundamenta, ambitus & præcipua contenta facile cognosci possunt: Nunc *Controversias* paulò altius expendere, argumenta more Academico, pro & contra, afferre, quæq; verior sit sententia adductis utrinq; rationibus solidius stabilire anim⁹ est. Modò omnipotens vitam & vires prorogare dignetur.

II. Quoniam igitur tota *Philosophia est hominis perfectio, veri cognitione, quod Theoreticæ est, & honesta ac laudabili actione, quod Practicæ, eundem perficiens. Actiua a Philosophia que voluntatem dirigit & affectib⁹ moderatur, in communem partem, quæ ad virtuosam actionem sine habito respectu ad hoc vel illud vitæ genus aut statum informat: Et Proprias, quarum altera Oeconomiam, altera Politiam seu Remp. respicit, subdividi solet: Non immeritò quæri solet ac potest; An pars illa communis sive Generalis Philosophia Actiua, que Ethica dici consuevit, sit Pars quadam Philosophia, & in Academicis Universitatibus iure meritoq; proponatur?*

III. *Quæstio ista duo continet membra, unde & in duas facile resolvi potest quæstiones: quarum utramq;*

affirmamus. Priorem sc. quod *Ethica* quæ est *prudencia de virtutibus* & *bonis moribus agens*, sit pars *Philosophiæ*, sic adstruimus atq; confirmamus. *Omnis Entis cognitio sive ad veritatẽ sive honestatem directã, est Philosophia vel pars Philosophiæ; sed Ethica est Entis alicujus cognitio ad veritatem & potissimum honestatem directã; Ergò, Ethica est Philosophia seu Philosophia Pars.*

IV. *Maior propositio* istius *Syllogismi* facilè roboratur; Hæc enim, inter alias quã plurimas, solet esse *Philosophia descriptio* haud contemnenda; *philosophia est omnium Entium seu rerum cognitio, quanta scil. natura lumine in hæc corruptione obtineri potest.* *Minor propositio* per se clara est: *Ethica* enim agit de beatitudine, siue bono & quidem summo bono; De animo eiusq; affectibus & horum moderatione, potissimum autem de *virtute* tanquã præcipuo medio & sufficientissimo instrumento, beatitudinem & felicitatem civilem acquirendi: Quæ omnia *Entia* esse, & in *Entium* numero ponenda, nemo nisi qui *Philosophiæ* limina, ipsa *Prædicamenta*, non dum salutaverit, inficias ire poterit. Horum itaq; cognitionem, *Ethicam ipsam ex agro Philosophico* vix exterminaverit.

V. *Priori questionis membro* sic confirmato, alterum solidè superstruitur & sua sponte hinc dimanat. In *Scholis* & *Universitatibus Academicis* tota *Encyclopædia* siue ambitus *Philosophicus honestarum, laudabilium & utilium disciplinarum*, sine mutilatione proponendus est. At sine *Ethica Philosophiæ ambitus integer & immutilatus non est; Ergò Ethica etiam in bene constitutis Academicis est proponenda.*

VI. *Majorem stabilit definitio Academicarum; Sunt enim Scholæ universales auctoritate summi magistratus instauratæ, ubi omnes licitæ artes ac disciplinæ* (qualè *Ethica* esse nemo sanè negaverit) proponuntur &c. *Minoris veritas* priori quæ-
sti-

tionis membro innuitur; si namq; *Philosophia* est omnium
Entium cognitio; sequitur sublata vel neglecta aut præ-
termissa alicujus entis, & quidem haud vilis sed utilissi-
mi cognitione ac tractatione, *Philosophiam* maneam esse
mutilatam atq; imperfectam: quod minimè ferendum.

VII. Quamvis autem hæc sententia satis sufficien-
ter confirmata sit; non pauca tamen nec levia sunt quæ
objici solent, & rationem aliquam dubitandi afferre vi-
dentur, i. *Quod entia præter evidentem necessitatem, non sine
multiplicanda.* Iam autem *Ethicam* peculiarem constituere
disciplinam & seorsim tradere nulla evidens necessitas urget;
Ergo *Ethica* non est peculiaris disciplina constituenda & seorsim
tradenda. Major est effatum quoddam commune in
Scholis passim decantatum & omnium consensu appro-
batum: Adeoq; facile declarari potest; ut enim *necef-
saria* omittens peccat & reprehensionem meritò incur-
rit; Ita etiam non *necessaria* & supervacanea ingerens haud
leviùs impingit.

VIII. Minor operosiori quidem indiget probatio-
ne; Confirmari tamen potest hoc argumento. *Si om-
nia ea que in Ethicis traduntur & proponi solent, alibi sufficien-
ter explicantur, enodantur atq; edocentur; sequitur certè nullam
esse ejusdem necessitatem: Atqui omnia ea que inibi proponi so-
lent, alibi sufficienter explicantur, Ergo &c.* Major hujus syllo-
gismi est manifesta, si enim alibi sufficienter explican-
tur, tum certè hic frustra proponuntur. Sed *Minorem*
hujus prosyllogismi videamus; anne hoc verum sit suffi-
cienter & legitimè alibi exponi omnia ea quæ in *Ethicis*
docentur. Sic autem illud probatum eunt contrariæ
sententiæ assertores.

IX. 1. In *Ethicis* agitur de summo bono, felicitate &
beatitudine: Atqui de his iisdem exactissimè, de vero

mirum & summo bono, felicitate & beatitudine in *sacra*
Theologia agitur, Ergo frustra de eadem in *Philosophia* &
 seorsim in *Ethicis* agitur. 2. Explicant *Ethici* nonnulla de
anima, ejusq; facultatibus & affectibus, quæ omnia ad physi-
 cum spectant forum, & inibi sufficienter eventilantur.
 3. de *actionibus humanis earumq; differentijs spontaneo & in-*
vito, libertate & coactione, iuris aut facti ignorantia, delibera-
tione &c. etiam solliciti sunt *Ethici*: Sed hæc omnia dilu-
 è in *iurisprudentiâ declarantur, uti ex ff. libris & Istorum*
scriptis satis superq; constat. 4. de *virtute*, quæ in *Ethicis*
 utramq; paginam facit, in *sacris literis & Theologia* suffici-
 entissimè agitur. Ergo omnia ista in *Ethicis seorsim propo-*
nere supervacaneum est.

X. Non certè adeo levia hæc videntur, unde &
 graves & eruditos viros permoverunt. Salvo tamen sem-
 per cordatorum iudicio ut liberè mentem nostram executiamus, non videntur
 hæc tanti esse momenti, ut à priori sententia ad huc dimoveant, & hiatus ali-
 quem seu mutilationem in circo Philosophico admittamus. Ad *Primum*
 itaq; arg: cont. in The. 9. positum *Resp. adhibitâ Distinctio-*
ne: inter Beatitudinem, bonum & felicitatem civilem seu Po-
liticam & spiritualem sive æternam. De hæc *Theologia po-*
ssimimè agit; de illâ verò etiam Philosophia, & quidem pri-
mariò. Quamvis autem regeri queat, illum qui *spiritua-*
lem assequi possit beatitudinem & æternam; Civilem sa-
tis obtinisse, neq; de eadem ulterius laborandum.
 Non ideò tamen negari potest aliùs esse *Disciplina & fa-*
cultatis de spirituali Princip. iter agere: aliùs autem de ci-
vili pertractare. Sic ephippium vel fraenum qui habet, fibulas etiam
 habet; sine his enim illud absolutum esse nequit. Alius tamen est artis
 fibulas, aliùs verò artis Ephippium & fraenum præparare. Ita qui *vir-*
tutes & beatitudinem habet Theologicas, Ethicis destituit
nequit. *Alia tamen disciplina & facultas de beatitudine*
& virtute civili, alia de spirituali, tanqvã in proprio foro,
agat necessum est. Atq; ita primo arg. satisfactum.

XI. Ad secundum ar. 2. facilius adhuc est responsio. Agit nimirum de anima eiusque facultatibus & affectibus I hysticalivè Physicus; Sed alio considerandi modo, qui disciplinas, ne dum facultates diversas ostendere consuevit. Agit Physicus, sed tantum Scientificè: id est, cognoscendi gratiâ, ut sciatur exactè quid sit homo, & eiusque pars nobilior: quot & quanam facultates, quid affectus. Ethicus autem non tam sciendi quàm dirigendi & ordinandi causâ; ut sciamus quomodo intellectus informandus, voluntas dirigenda & affectus cohibendi & refranandi. Quâ ratione vis secundi arg. tota cogitatur atque enervatur.

XII. Tertia obiectio dicit in Iurispudentiâ explicari naturam actionum humanarum; quid sit spontaneum, involuntarium, actio mixta, ignorantia Iuris & facti &c. Resp. Minorem simpliciter negando. Nusquam enim in tota Iurispudentiâ, tamquam in proprio foro & sede hi termini explicantur; sed ut antea noti & explicati subinde quidem assumuntur & sæpe occurrunt: de quibus iisdem integri sunt tituli utpote ff. de Iuris & facti ignorantia, & similes: de actionibus, sed alio sensu. Verùm hic antea expositi præsupponuntur: unde tritum: ubi desinit Ethicus, ibi incipit Iustus. Hinc etiam Gaius in Prolegom. Ethicorum, inter alias utilitates docet esse, ut fontes Iuris studiosis aperiant. Conf. D. Ion. Mag. Wex. Phil. civ. part. prior. Diss. 9. Ex quibus huic obiectioni abundè satisfietur.

XIII. Quartum obstaculum, quod virtutes à Theologis sufficientissimè explicari obijcit, sic amoluntur. Theologia equidem quomodo virtus colenda & exercenda simplicissimè demonstrat & sufficientissimè edocet: Interitio quæ virtutis in genere vel hujus aut illius, in specie sit natura, definitio & distinctio non edisserit aut discurit: sed hoc ipsum suo foro relinquit. Unde & diligenter nota-

tandum duplex illud virtutes docendi genus: Dogmaticum & Paræneticum: illud Philosophis præsertim Peripateticis: hoc sacris vatibus maximè familiare.

XIV. At regeri potest. Si Paræneticum virtutem docendi genus benè perspectum, i. e. Si virtutem ex animo diligere, tamq; quoad humana fert infirmitas, colere quis didicerit: Dogmaticum illud, quod virtutis essentiam definitione explicat, non magnoperè necessarium, neq; requirendum esse. *Ethices enim finis non cognitio sed actio.*

XV. Resp. Distingvendo inter *Vulgus* & *ex professo Literatos*: illis quidem suffecerit monita in promptu habere ex sacris literis alijsq; bonis authoribus deprompta, quæ honestatem sequi urgeant. *Doctis* verò & literatis, si modò hunc titulum honorificè tueri velint, etiam necessarium fuerit de virtutum essentia, natura & differentijs paulò altius differere atq; disquirere. Illis igitur *Ethica* isthæc institutio, secundum quid, his verò absolutè necessaria erit.

XVI. *Obijci prætereà solet ex sacris literis 2. Tim. c. 3. v. 16. Quod omnis Scriptura divinitus inspirata sit utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitia &c.*

XVII. Sed Resp. ex ipso textu vers. antecedenti 15. quod sacre literæ eruditum reddant ad salutem, scil. æternam per fidem, quæ est in Christo Iesu. Quamvis enim hoc modo, *Ethica* hominem non informet, ad salutem videl. æternam (satis enim in collatione ad sacras paginas doctrinam hanc imperfectiorem esse) suâ tamen utilitate in civili vita non caret. Nam 1. Seipsum cognoscere docet, quousq; videl. naturali lumine & facultate progreditur. 2. Cum alijs conversari. 3. Theologis secundæ tabulæ exempla suppeditat. Et 4. deniq; Iuris studiosis terminos explicat & scaturigines aperit. Unde partem hanc *Philosophiæ Practicæ generaliores*

valiorem seu Ethicam Philosophiæ partem esse, meritoq; in Scholis publicis proponi non sine ratione asserimus.

XIIX. Cùm iam satis dilucidè exposita sit controversia *an sit?* breviter etiam disputationes nobiliores circa quæstionem quid sit Philosophia Moralis, enucleamus.

XIX. Hic primò sese offert *communis naturæ*, i. e. *generis* indagatio. Ubi sicco, quod dicitur pede, absurdiores præterimus opiniones: Anne per *Scientiam* vel *artem* ut genus legitimum sit definienda? Ultraq; enim, si termini in strictiori & proprio, uti à Philosophis fieri decet, significatu accipiantur, suam mox prodit imbecillitatem. Prior, quod *Ethica* circa *necessaria*, immutabilia & cognitione saltem apprehendenda non versetur, nec in *nuda* acquiescat *speculatione*, quæ omnia tamen *Scientiæ* propria sunt. Posterior, quia *artis* pressè sic dictæ *est efficere, non habito ad motus animi*, quæ operantem comitantur & occupant, *respectu*; Et artificem constituere ac denominare: quæ omnia *Ethicæ* aut *practicæ* Philosophiæ minimè congruere satis manifestum est.

XX. Inter accuratiores etiam controvertitur, *an per prudentiam* ut genus definiri debeat? Negant non ignobiles Philosophi: 1. *quod totum partis genus esse nequeat*. Sic enim caput, manum &c. non corpus, sed partem corporis definimus. *Atqui prudentia est totum, Ethica & politica sunt partes ejusdem totius*, Ergò *Ethica* vel *politica* per *prudentiam* ut verum genus definiri non potest. 2. *Omne genus legitimum de pluribus aptum natum est predicari speciebus: Sed prudentia de pluribus speciebus sive specie distinctis disciplinis predicari apta nata non est*, siquidem *Ethica* & *politica* non tam specie distinctæ sunt disciplinæ (ut mox videbimus)

mus) quàm unius eiusdemq; contradistinctæ partes.
Ergò prudentia Ethica & Politica legitimum genus esse non potest.

XXI. Haud equidem diffitendum hosce arietes omni effectu non destitui, sed ansam dubitandi facillè suggerere. Siquidem tamen minimè deest quod reponi possit, receptæ sententiæ adhuc stamus & non minus commodè Ethicâ & politicam p̄ prudentiam quàm partem Prudentiæ sive Philosophiæ Practicæ definiri defendimus.

XXII. *Genus enim est quod de pluribus specie differenti- bus predicatur in questione quid est: sive totum partibus Essentiali, ut omnium Logicorum calculo constat: Sed prudentia de Ethicâ-Politica & pluribus in questione quod est, prædicari potest (prout ex refutatione secundæ obiectionis constabit) atq; sic est totum partibus essentiali; E. prudentia est Ethica & Politica legitimum genus.*

XXIII. Ad contraria arg. breviter resp. Ad 1. majorem propositionem non esse simpliciter veram, nisi restringatur ad *totum integrale*, quod continet plura aliqd realiter constituentia per modum continuationis, utin ligno, arca, tecto, parietibus, fundamento & allatis exemplis alijsq; partibus similaribus & dissimilaribus. Tale autè totum disciplinæ Practicæ, præstè loquendo, non sunt: Quamvis enim prudentia cum toto integrali analogiam aliquam habeat, strictè tamen totum integrale dici nequit, cum omne integrum, propriè ita dictum, sit corpus. Quin & quod non minori jure *universale totum* appelletur; cum plures contineat sub se partes subjectivas, philosophiam nempe *moraalem*, *Iuris prudentiam* &c: de quibus prædicari potest: ideoq; non injuriâ genus indigitatur. *Genus* autem est totum respectu specierum; quarum partium

tium utiq; genus est & rectè dicitur, atq; sic labefactata est maior propositio.

XXIV. Ad alterum jam etiam ex parte responsum est. Et præterquam quod aptitudo juxta quosdam suffecerit (ut si plures essent disciplinae, de quibus predicaretur, iis quoq; congrueret) ad constituendum universale, unde & *Solem, Lunam, Martem, Phenicem* etiam *universalia* dicunt, quæ tamen de pluribus actu non prædicantur.. Ulterius resp. *Nezando min. seu Assumpt: prudentia* enim de *Philos. Prædicâ, Ethicâ, Oeconomâ, Politicâ, Jurisprudentiâ & Historicâ*, ut quibusdam placet, in casu recto prædicari potest. Namq; non incommode (nec grammaticè nec Logicè nec Philosophicè) dici potest; *Ethica* est prudentia; *Ethicus* est prudens; *Politica* est prudentia &c: Si non totalis, attamen partialis, quod sufficit. Ergò *prudencia est legitimum Ethicæ genus*. quod erat probandum.

XXV. An verò *Ethica, Politica & Oeconomia specie distincta sint disciplina* non minus inter eruditos controversitur. Pro affirmativa sic argumentari licet: Quæcunq; disciplinae differunt *Objectis, finibus & medijs*, illæ specie inter se distinguuntur; Atq; *Ethica, Politica & Oeconomica, objectis, finibus & medijs* inter se differunt, Ergò specie dist. *Maj.* est clarissima: ex hisce enim potissimum disciplinarum discrimen desumi solet. *Min. prob.* *Objectum* enim *Ethices* sunt *actiones humanae*; *Politices* resp. seu *Politia*; *Oeconomices familia*. *Ethices* finis est *honestas & beatitudo*. *Politices, felix reip: status*; *Oeconomices, divitiæ & augmentum rei familiaris*. *Media in Ethicis* sunt *virtutes Ethicæ*: In *Politiceis, virtutes Politica & officia magistratus ac subditorum*; In *Oeconomicis, munera patris familias & reliquorum familiarium*: quæ omnia distinctissima esse patet.

XXVI. Verùm resp. *Minoris* sivè *Assumpt*: proba-
tionem esse insufficientem: Eadem enim *actiones hu-*
mana & ipse *homo*, quatenus feliciter in societate degen-
dum, est *objectum*: In *Ethicis* sine respectu ad certum vite ge-
nus: In *Politicis* ratione reip. In *Oeconomicis* ratione felicitatis status.
Idem finis nimirum *beatitudo* seu *felicitas*. Neq. n. de alio
fine in *Politicis* vel *Oeconomicis* agitur: sed generalia saltē
applicuntur. Neq. divitiæ tanti sunt, ut à Philosopho, nedum Chri-
stiano, pro ultimo fine haberi debeant: Intermedius quidem finis, & virtu-
tum instrumenta quin haberi queant, nihil prohibet. Ita & eadem
occurrunt & adhibenda sunt media, nimirum *virtutes*.
Eadem enim præcepta *Temperantiæ*, *fortitudinis*, *justitiæ*,
liberalitatis &c. quæ in parte communi seu *Ethica* propo-
nuntur, in *Politica* deinde & *Oeconomica* etiam servantur, &
ad *speciales casus* accommodantur. Unde hæc nihil aliud
quàm *specialis Ethica* dici possunt.

XXVII. Firmius itaq; pro negativa sic concludi-
tur: Quæcunq; partes philosophiæ seu disciplinae idem habent,
objectum, eadem media & eundem finem, specie
inter se non distinguuntur: Atqui *Ethica*, *Politica* & *Oeco-*
nomica idem habent *objectum*, media & finem: Ergo.
Major est clara & antea probata. Minor etiam ex par-
te declarata. Et fusius facile deducitur: Idem est
objectum nimirum *homo* civili beatitudine imbuendus;
quò omnia quæcunq; in *Practica Philosophia* occurrunt,
tanquam ad scopum collimant & veluti ad centrū refe-
runtur, in *Ethicis* generaliter, in *Politicis* & *Oeconom*: *specia-*
lius & *applicativè*. Media etiam eadem esse præce-
denti thesi 26. probatum; leges enim quæ in *Politicis*
passim allegantur, nihil sunt aliud quàm *virtutes armatæ*.
Finem vero eundem esse iam quoq; ostensum & satis pa-
tet. Idem namq; est *bonum civitatis* & *singulorum hominum*.
Quip-

Quippe quod *privatim honestum & utile*; id etiam in laudabili reip. *statu publicè*: & vice versâ. Nullam proinde specificam inter hasce partes differentiam haberi dispalescit: Sed ut *communem* sive *generalio rem* & *proprias* sive *specialiores* partes saltem differre asserimus^o.
Et tantum etiam de hac questione.

XXVIII. *Methodum* quod attinet quâ *Practica Philosophia* tradenda ac proponenda, satis prolixè & accuratè egerunt *Piccolomineus* in *comite suo Politico* eidemq; adversarius *Zabarella* & alij sequaces^o. Nos tram sententiam in *fasciculo controversiarum* jam antehâc sect. i. memb. i. q. 12. aperuimus; quam etiamnum tuemur. Neq; illis obstrepimus qui perpetuam methodi legem esse docent, ut à *generalioribus ad specialiora*, à *notioribus ad ignotiora*, semper procedatur.

XXIX. *Coronidis* loco, ut qualis sit *activa Philosophia* exactiùs pensitetur, de ejusdem ad collationem *Germanæ suæ, Theoreticæ, præstantiâ & nobilitate* aliqua adferri deberent: Sed etiam antea hic quodammodo satisfecisse videmur *Cit. memb. i. Sect. i. fascic. contr. q. 8.* Nisi forte aliqua etiam ad contradi gentium argumenta reponenda censeantur: quæ breviter hæc sunt.

XXX. Oggeritur à non nemine: i. *Contra regimen & imperium Practicæ philosophiæ, distinguendo inter imperare Theoreticæ, & imperare pro eâ.* Distinctio quidem satistrita: sed hoc loco penitus vana. Equis enim ita rerum est imperitus & utriusq; vel alterutrius *Philosophiæ partis* ignarus, ut nesciat *Politica m* non modò *pro Theoreticâ*, i. e. in ejus *tutelam, defensionem ac protectionem* (quod haud parum etiam ad præstantiam facit:) Verum quoq; ipsi *Theoriæ imperare*: quatenùs videlicet *Metaphysicæ speculationes* in rep. utiles aut ferendæ; quæ *disciplinæ mathematicæ & quousq; politiæ* commendant? Quod qui ignorat, constitutiones sive lls. nostras.

Academicas inspiciat: quæ certè non ex *Theoretica* Philosophiæ sed *politica principijs* educiæ & extractæ sunt. Et quis nescit Arist: ante tot secula Politicam maximè architectonicam disciplinam appellitasse. Quemadmodum igitur Architectus, cæmentariis, fabris, cæterisq; operariis munia iniungit, & quid faciendum ac quousq; progrediendum præscribit; Ita etiam *Practica Philosophia Theoretica*.

Quod verò aliqua etiam Theoreticæ cognitio requiratur ad hoc imperium exercendum, nihil quicquam impedit: Est enim illa cognitio hæc in parte prorsus *ministerialis*, quatenus politico ad finem suum obtinendum inservit.

XXXI. 2. Adversus usum & utilitatem, unde præstantia rectè confirmatur, sic excipitur. *Utilius non semper est præstantius; sed saltem in genere utilium.*

Alia enim sunt quæ usus gratiâ, alia quæ propter præstantiam & nobilitatem suam expetuntur. Quæ distinctio in Aristotele quidem fundamentum habet: an verò etiâ in *sacro codice*? dubitatur: Ubi omne quodcunq; à Deo creatum est, bonum dicitur; per bonum verò non præstans tantum & nobile intelligitur, sed *hominum quoq; usibus aptum, cujus gratiâ omnia creata sunt.* Quin & quod, *pietas* ad omnia utilis dicitur 1. Tim. 4. 8. Et scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum &c.

2. Tim. 3. 16. Ecquamnam ergò nobis exhibent Philof: Theoreticam, quæ utilis dici non mereatur? Et ita divina sit ut omnem respuat utilitatem? quam faciunt ipsam, diviniorem ipsa pietate & Dei verbo. Apoge eiusmodi vanitatem. Quicquid igitur *utilius* id etiam *præstantius*; saltem quâ istam utilitatem, licet non aliàs per omnia.

XXXII. Reberat quis subsumendo: *Ferrum est auro utilius, quoniam plura inde instrumenta in Oeconomia; vomis securis, culter, frænum &c.* fieri possunt: Ergò ferrum est auro præstantius & nobilius. *Conclusio hæc est absurda: Ergò & alterutra præmissarum.* Non Minor quæ

quæ jam inductione probata & ulterius faciliè probari potest: Ergò Major: quæ fuit nostra in *Thesi proxime precedenti.*

XXXIII. Sed Resp. 1. Propositionem nostram non dicere simpliciter quicquid utilius, id etiam præstantius & nobilius *absolutè* & per omnia; sed saltem *quâ istam utilitatem*: Et sic etiã totum argumentum concedi potest. 2. Resp. neq; *minorem* sive assumptionem sufficienter probatam, nec satis probari posse. Quamvis enim *aurum* non sit utile ad *vomeris, securis, velles, ferras* &c: conficiendas ut inde tanquam ex materiã fiant: utile tamen est & valet ad omnia ista comparandum: Nullum enim est vel excogitari potest instrumentum quod auro non acquiratur. Quæ certè utilitas, ferri utilitate minor haud dicenda. Utile præterea est aurum, ut inde annuli, torques, cimmelia, coronæ fabricentur; auro argentum aliq; deaurantur: auro pingitur: aurum in medicinã adhibetur: Ex auro optima moneta cuditur &c: quibus omnibus usibus & similibus aurum ferro longè præpoderat. Quid sanitate utilius? Quid sanitate nobilius? & ita consequenter. Proinde non immeritò *Præcticanam Philosophiam ratione utilitatis* speculativæ præferendã, & nobiliorem statuimus.

XXXIV. Quod obijci soleat: Activum Philosophum omnem *objecti* sui & *finis*, nimirum *S. Boni* cognitionem ex *Methaphysicâ* mutuari; vanius est quàm ut *refutatione* indigeat. Ubi enim in *Methaphysicis* de homine vel actionibus humanis distinctè agitur? Miser iste *præcticus Philosophus* qui a. jiam & distinctiorem earum non hauserit cognitionem. De *bono* quidem agunt *Methaphysici*, sed transcendentalitè tantum, explicando terminum hunc in summâ latitudine suâ & *abstractè*. *Specialem S. boni* practici tractationem *Phil. Pract.* relinquere tenentur. Unde immeritò dicitur *præcticum* omnem *objecti* & *finis* sui cognitionem à *metaphysico* accipere. Et Quotnam sunt optimi *Politici*, qui *metaphysicam* pro *monstro* habent?

XXXV. Obijcitur etiam, ut & hoc obiter tangeamus, *contemplatione nos propius ad divinam naturam & vitam eternam accedere.* Sed utrumq; non sine jactura veritatis? Quis enim nescit damnatos Spiritus, qui etiam a scientia qua pollent *dæmones* dicuntur, Entia omnia satis accuratè contemplari? Honestè verò & laudabiliter agere *solus homo* cum *Sanctis Angelis* & creatore commune habet. Quin etiam in futurà vità non omnis actio cessabit. Nam uti Thom. ex August. loquitur; ibi erit prudentia sine ullo periculo erroris; fortitudo sine molestia tolerandorum malorum; Temperantia sine repugnatione libidinis. Ut prudentia sit, nullum bonum Deo præponere vel æquare; Temperantia, nullo affectu noxii delectari; Fortitudinis, Deo firmissimè adhærere; Iustitiæ eidem subditum esse &c:

XXXVI. Et deniq; oggeritur *falsam opinionem in Philosophia Theoretica, esse seditione deteriolem,* (quod profectò ridiculum) atq; sic *Theoria, cujus contrarium est majus malum praxi erit melior!* Nam quod infertur horrendam opinionem; de *Trinitate Personarum S. S. & divinitatis dubitandum esse, seditione deteriolem esse:* id quidem in dubium vocare non est necesse. At ostendatur vel probetur sufficienter hic aut ullus ex reliquis fidei articulis è fundamentis *Philosophia Theoretica.* Fallit profectò & fallitur, qui id se posse sentit. Ex sacris fontibus ista deduci volunt; qui cum *Philosophia* minimè confundendi. Contemplativus autem Philosophus, quâ talis, de aliis sollicitus est opinionibus: An nimirum attributa Entis differant realiter ab ipso Ente? An orbis cœlestes sint reales? ignis sub concavo Lunæ? An detur quadratura circuli? An privatio sit principium? an terra moveatur? & similibus. Quis jam periculosius credat ejusmodi aliquam opinionem fovere & spargere in Repub. (quod est *Philosophi Theoretici*) quam si *magistratus & subditi de virtutibus suisq; officijs malè informati, in vitijs voluntur & officium negligant? se invicem opprimant? &c: quæ ex defectu bonorum politicorum consequuntur.* Sed desino, in remanifestissima pluribus urgere. Sapienti enim satis,

Man.

MANTISSA.

In speculativâ quidem Philosophiâ *abstractio* illa triplex â materiâ potissimum attenditur. Nihilominus tamen qui in *Practicâ* etiam aliquam *abstractionem*, (quatenus hic non primario de hujus vel illius temperantiâ, frugalitate, fortitudine justitia &c. agitur: Sed de justitiâ in genere & abstractè) ab individuis dari asseruerit, haud absurdus fuerit.

SOLI DEO GLORIA.



Ornatissimo Dn. RESPONDENTI

DN. SVENONI PETRI TORELIO VVE.

STROGOTHO, Bonarum in hac Acad. artium studiosissimo.

Fasciculus varijs constans ex floribus horti,
 Quàm si uno constet, plus recreare solet,
 Atq; oculos atq; olfactum: experientia testis.
 Hinc olitor, misto ferta colore parat.
 Nemo ignorat: apes varijs ex floribus arte
 Mirandâ, efficiunt dulcia mella, favos,
 Hasce tuas dum volvo theses, dilecte Toreli,
 Næ referunt, vario ex gramine fasciculum..

Honoris & amoris ergo
 L. Mâ.

ÆSCHILLUS PETRÆUS D.

Orna-

Ornatissimo & Politissimo Juveni,
DN. SVENONI TORELIO, artium humaniorum Cul-
tori indefesso, amico & discipulo. per dilecto, doctè de Ethices
constitutione disputanti.

Ingenium Vegetum, SVENO, moresq. pudicos
Doctrinæ cultum laudo, Polite, tuum.
Dam Logici volvis perplexa volumina Scripi,
Ut valeas dubios Solvere ritè nodos.
Scrutaris solers causas rerumq; latentes
Ingenij mirâ dexteritate tui.
Excolis egregiè blandæ modulamina linguæ
Ut tingas svavi verba diserta sono.
Instillas animo docili præceptaq; morum
Ut præsens scriptum monstrat abundè satis
Hic mihi conatus placet, atq; placebit hic aulus
Imprimis patri, quem reverere, Pio.
Pergito sic porrò cœptis insitere tantis
Et merito Phœbi gratus amicus eris.

Honoris & amoris ergò adiecit
NICOLAUS NY COP.
Log & Poet. Prof.

SVENO PETRI TORELIUS

Per Anag.

POLITUS TUSENI ORE RE.

Impleidum decus & cor amabile, doctè TORELI,
Et dulcis patriæ flosq; decusq; tuæ.
Vis te collaudem? Non: Laudat te tua virtus:
Doctrina exornat, perpolit atq; beat.
Ethica quî Juvenis potis est præcepta tenere?
Magnus Aristoteles postulat ecce senem!
Annis es juvenis sed mente senex gravis esto:
Respondent vitæ dogmata namq; tuæ,
Ethicus ORE & RE sic diceris, arte POLITUS,
Hincq; SENI fies fida e columna patri.

Necessario suo a nimitus ita gratulabatur
IOHANNES S. VVASSENIUS VV-G

COLLEGIUM ETHICUM

DISP. II.

MORUM SEU ACTIONUM HUMANARUM ULTIMO FINE;

id est:

SUMMO BONO

Respond: JACOBO PETRI CHRONANDRO VVestro Gotico

THESIS I.

Quandoquidem tota hæc philosophiæ pars actionem aliquam respicit, quæ semper scopum ac finem quendam propositum habet, aut certe habere debet. Stultus enim est qui actionem nullius rei gratiâ suscipit. De fine igitur actionum humanarum ultimo & SUMMO, uti vulgariter appellatur, BONO, Beatitudine seu felicitate, hic non nihil differendum erit; ut hoc perspecto, media eò tendentia, ipsas VIRTUTES, tanto majori studio indagemus, meliùs & accuratiùs pernoscamus.

II. Esse autem aliquem humanarum actionum finem; haud difficile probatu; Et jam ratione non levi stabilitum esse videtur. Cum nihil frustra fiat. Sicut namq; in & ab ipsa naturâ nihil gratis suscipitur; Ita & hominum vix ullus, planè non amens, adeo stupidus, ut absq; certâ intentione & fine quicquam aggreddiatur, prout ex particularibus actionibus patet. Et si vel insentem iam fieri incipientem quære hoc vel illud agat interrogas, aliquem certè scopum præterdet.

III. Si igitur dantur actionum fines prout jam ex allatis

tis constat, dabitur utiq; & *finis ultimus*, in quo *summa felicitas* & maxima collocanda erit: Ne hujus quoq; sine aliquo posito, & rursus illius, atq; sic consequenter in infinitum tendatur. *Quod est absurdum*. Plura passim in hanc sententiam occurrunt, quæ ut magis trita hinc consulto omittuntur.

IV. Obijci tamen varia solent. 1. Miserrima hominis cōditio in afflictissimo hocce *peccati statu*, ubi etiã in multis longè infra belluarum conditionem prolapsus esse deprehenditur: quippe qui lachrymis nascitur, lachrymis vitam traducit, lachrymis deniq; moritur, juxta Poëtam:

Flens ego sum genitur; celebrantur funera fletu;

Transacta innumeris vita fuit lachrymis.

Unde haud absurdè dixerat, qui dixit, *hominem è terrâ & lachrymâ conflatum esse*. In quam etiã sententiam *Aristo* referente *Stobæo* sermon. 69. asserit: *hominem imbecillitatis exemplum esse, ludibrium invidia, & calamitatis trutinam. Reliquum pituita & bilis*. Quibus & similibus si quotidiana jungatur experientia, de continuis gemitibus, lachrymis & singultibus luculentissimum perhibens testimonium, facile persuadere & evincere videntur, *nullam in hoc mundo beatitudinem, felicitatem aut summum bonum esse vel inveniri posse*. Ubicunq; enim summa est miseria ibi felicitas & beatitudo planè exulat; Atqui inter homines in hæc lachrymarum valle viventes summa reperitur miseria; uti jam probatum: Ergo.

V. Huc etiã facit illa *Solonis græc*; *Sap.* authoritas, *Cræso Lydorum Regi prosperæ fortunæ flatu turgido respondentis*, ut *Ovid.* 3. metamorph: reddit.

----- *Ultima semper*

Expe.

Expectanda dies homini diciq; beatus

Ante obitum nemo supremaq; funera debet.

Cui quoq; congruit proverbialis locutio, nostra vernacula circumferri solita; Ingen fan präsas salig; / för än han hästmer sär sit Swoyefläde; id est: Tum demum de cuiusvis felicitate constare, cum jam feretro illatus est. Idq; propter incertos eventus qui sæpé incidunt, ut qui hodie felix apparet; Cras miserrimus videri poterit. Unde & tritum illud: *Mortuum laudare tutum est.* Hinc facile concluditur: *Si nemo ante obitum felix merito dicitur, tum nulla in hac vitâ invenitur felicitas aut Beatitudo; Sed verum prius (uti paulò ante declaratum) ergò & posterius.* Consequentia etiam patet; ubi nemo est felix, ibi nulla esse potest felicitas. Siquidem *accidentis esse est inesse.* Et, *dici requirit inesse.* Ut vulgò loquuntur.

VI. Congruit insuper hæc ipsa assertio apprimè cum *sacris literis*, non uno saltem in loco *præsents vitæ miseriæ* exaggerantibus, ut notiss. ille textus *Eccles. 40. Job. 14. Ecclesiast. 1. Joh. 16.* hominem se, multis miserijs repletum: omnia in hoc mundo vanitatem esse; in his terris afflictiones nos manere; Et huius generis per plurima. In futura autem demum vitâ felicitatem & beatitudinem sequuturam. Hic commorandi saltem diversorium; Ibi verò habendi tabernaculum concessi. Non enim habemus hic manentem civitatem ad *Hebr. 13. v. 14.* Verum politeuma nostrum est in cœlis. Ad *Philipens. 1. v. 30.* Unde non tantum homines sed & reliquæ creaturæ liberationem expectant *Rom. 8. 22. &c.* Idq; propter peccatorum contagionem à quâ nec sanctissimi etiam immunes esse possunt. *Ubicunq; igitur sacra pagina meram testatur esse vanitatem, omnigenas molestias, inconstantiam & cuncta afflictionibus plena; ibi Beatitudo sive felicitas existere nequit; Sed in mundo talia inveniri scriptura abundè testatur uti prius ostensum, & pluribus ostendi posset: Ergo.*

VII. Poterit idem adhuc alijs confirmari rationibus *Philosophicis* 4. *summa felicitas* (ut inter saniores, philoso-

phos convenit, & deinceps patebit) in perfecta operatione secundum virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta consistit; *Ar. 1. Eth. c. 7.* Atqui nullus hominum in hac vita reperitur qui perfectissima virtute pollet, vitâq; omnimode perfectâ gaudet; Nullus igitur felicitate präditus invenietur. Sublatâ enim causâ effectum quoq; tolli necesse est. Perfectam verò virtutem humana infirmitas impedit; Quæ etiam cum multis aliis defectibus summi boni fruitionem avertunt.

VIII Et deniq; s. cum de S. Boni essentiâ, quidnam illa sit & in quonam consistat, tot, tam diversa, tam discrepantes tamq; absurdæ passim sint opiniones, vanum esse videtur S. aliquod B. in hac vitâ statuere. *Si enim manifestum esset summum Bonum dari, cur non facile inter eruditos præsertim de eo conveniret? Sed de eo minimè convenit* (prout infra latius diducetur) *Nullum proinde S. B. aut felicitatem in hoc mundo esse verosimilius videtur.*

Atq; hæ sunt præcipuæ rationes quibus S. B. negare & ex hoc mundo exterminare adversarij conari solent.

IX. *Sed conantur saltim, at frustra* (quemadmodum etiam olim Democritus, Leucippus & Epicurus omnem finalem causam è naturâ sublatum iverunt teste *Ar. 2. phys. c. 8.*) Nam Resp. Sed breviter ad allata argumenta 1. In prima ratione duplex deprehenditur cum primis paralogismus: Prior à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: posterior, accidentis. Homo namq; in hoc statu peccati vel respectu corporis quod corruptibile est, vel respectu animæ, quæ immortalis, consideratur: Illud varijs afflictionibus & fortunæ casibus obnoxium est; hæc verò quosvis iniquæ sortis insultus patienter fortiterq; perferendo & ab honestatis tramite nusquam discedens beatitudine suâ perfruitur. *Conf. Epictet. Em. hirid. c. 1. & seqq.* Deinde sublatis accidentibus & instrumentis quibusdam summi Boni, quæ ad splendorem tantum faciunt; Essentia ni-

hilominus felicitatis salva manere potest. Addatur autem per, de quo etiam infra, summam in hac vitâ miseriam relativè dici, respectu omnimodæ beatitudinis & æternæ.

X. In secundo argumento *Solon* cum vulgo loquitur de bonis tantummodo *externis, corporis & fortuna*, quæ mutationibus objecta sunt. Non de *internis animi* scilicet, utpote virtutibus & earum exercitijs. Est itaq; *Elenchus oppositorum* dum non opponenda opponuntur, ut satis patet. Aliàs enim si omnimodè negetur beatos esse in hac vitâ qui post mortem demum civiliter felices fuisse verè dicuntur: opinio ista seiplam refellit. *Præteritum quippe semper præsupponit præsens*. Quod inter alia fufius ab Arist. 1. Eth. c. 10. demonstratur.

XI. Ad 3tiam objectionis ex *sacro codice* petitiæ solutionem, notanda distinctio inter *beatitudinem* seu *felicitatem divinam, cælestem, Theologicam* sive *spiritualè* de quâ Joh. 17. v. 3. quam Dei fruitionem Scalig. vocat, Et *humanam mortalem* seu *civilem*, quæ industriâ & humanis viribus acquiri potest. Illam non nisi in spe hic inveniri cum Apost. Rom. 8. 24. fatemur. Hanc verò etiam in hac vitâ obtineri & inveniri posse asserimus. Addere etiam hoc loco licuerit; summam in hoc mundo miseriam vocari in collatione ad *beatitudinem istam*, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, neq; in cor & imaginationem hominis ascendit 1. cor. 2. v. 9. & Esai. 64. v. 4.

XII. Ut 4to argum: contrar. satis fiat, observ. dist. inter *summi Boni essentiam & existentiam*: *Essentia* est actus quo secundum se intelligitur, juxta speciem sive communem naturam, quæ definitione exprimitur. *Existentia* verò quo res extra animum subsistit: id est actu existit, & in singularibus sive individuis invenitur. *Conf. fascic. contr. Eth. sect. 1. memb. 2. Quæst. 11. § ult.* Reperitur S. B. in specie humana quoad *essentiam*; licet difficulter in

individuis & quoad existentiam. Neq; enim cum perfectis hominibus pleneq; sapientibus versamur: Sed bene nobiscum agitur si aliqua virtutis species appareat. Cic. in offic. Rara quippe virtus perfecta; ideoq; cara. Quod ejusdem essentiam non imminuit sed innuit. Aliqua autem individua humana civiliter etiam felicia inveniri, exempla *Abrahami, Jacobi, Iosephi, Davidis, Gustavi M. &c.* Et heroum quorundam nostri temporis evincunt.

XIII- Ad 5. tam instantiam, præter vulgatum; *Errantium multitudinem nullum errori patrocinium parere;* Resp. invertendo argumentum: *Si diversa sunt hominum literatorum, doctorum & cordatorum de hominis in mundo felicitate opiniones, in quonam consistat; sequitur eam aliquid esse.*

Aliàs enim prorsus frustranea esset omnis de eadem disceptatio. Quin potius dissensus ejusmodi rei nobilitatem & excellentiam arguit; quam non ista de vulgo animæ, sed sapientissimi quiq; saltem assequuntur. Atq; sic constat aliquam etiam in hoc mundo beatitudinem & felicitatem dari.

XIV. In quam autem re felicitas illa consistat, inter omnes nec prisca seculis convenerat, nec cunctis adhuc planè idem est iudicium atq; imaginatio. *Epicurum & diis & factis bestialem ac voluptuariam vitam optimam & felicissimam tenuisse multorum constans est opinio.* *Æschylus* philosophus & Poëta, primus *Tragœdiarum* inventor, *in dormiendo suam posuit felicitatem;* qd alto imersi sopori nec corporis dolores nec animi perturbationes sentiant, Sed ipse ad paludem mœotidem stertens à lepore, quem caveâ fictili inclusum aquila in sublime extulit, decidente contuso cranio expiravit. *Pindarum* in *vacuitate dolorum corporis*, molitie & delitijs beatitudinis apicem fixisse ferunt. *Zenonem* philosophum in *luta victoria.* *Anacharsidem* in *vindicta & ulciscenda injuria imèrenti* illatâ S. B. reputasse. Cui cõsonat illud Poëtæ

Est vindicta bonum, quo non jucundius altum.

XV. *Saracurum gens* hujus vitæ felicitatem statuit vino ingurgitari, exlaturari & impleri. *Corinthij dies noctesq; ludendo consumere*, pro summâ felicitate habuerunt. *Crates philolophus in prospera navigatione*. Nimirum periculis defunctum & portum attingentem felicissimum judicavit. *Stilpo in amplitudine potentia: Simonides in gratiâ apud cives: Architas philos. in victoriâ ex prælio reportatâ: Gorgias philos. in audiendis rebus jucundis: Chrysippus philolophus: in splendidis ædificijs extruendis summam felicitatem posuit. Antisthenes in famâ post mortem superstitite: Euripides in formosa uxore. Sophocles in liberis patri succedentibus. Palemon in Eloquentia. Themistocles in generis nobilitate. Aristides in corporalium bonorû abundantia; ut & Heraclit⁹ in thessaurorû possessione.* Quæ omnia Horolog. princip. Lib. 1. c. 40. plenius refert: magnam partem irrefutatione quam refutatione digniora.

XVI. Quid præterea de præcipuis & maximè præ eminentibus circa hæc materiam opinionibus tenendum; videlicet vel eorum qui in voluptate & delitijs, vel qui in honore & nobilitate; vel in divitijs &c: summam felicitatem esse volunt; ante hac in fascic. contr. v. Eth. compendiosè & sufficienter expressum est. Et philosophus, i. Eth. Nichom. cap. priorib⁹ alijsq; ex eo uberiùs declarant.

XVII. Pro voluptate cum Endoxo pugnant, ut id adhuc obiter notemus, inter alia sic obijcere solent: Ad quod naturalis inclinatione ferimur, toto nisu contendimus, illud ipsi potissimum est noster finis & S. B. atqui ad voluptatem omnes magno impetu ferimur, Sicut è contra dolorem fugimus & virtuti non sine difficultate litamus: Ergo.

XVIII. Sed hoc & similia (quæ apud Heider. part. 1. philos. moral. pag. 05. & seqq. videsis) facile diluuntur, adhibitâ distinctione fascic. contr. Eth. sect. 1. memb. 2. 9. 8. sic appli-

plicando: ad corporeas voluptates toti non ferimur, sed caro saltem corrupta titillat parte meliori, ipsâ scilicet ratione, revocante. *Animi vero voluptatem* ut summæ felicitatis sive sociam sive filiam recte expetimus.

XIX. Trita inter *Stoicos* & *Peripateticos* controversia, an in *virtutis habitu*, an in ipsa *virtuosâ actione*, summa felicitas collocanda? Non videtur esse magni ponderis: cum neq; hæc sine habitu commodè procedat. Neq; is hæc diu destitui queat. Copiosa vide in *Heider*, p. 125. & seqq. dubium autem ipsum unâ cum alijs graviter & nervosè à *Piccolom. gr. 9. c. 14.* Hunc in modum deciditur: *summum hominis Bonum situm est in virtute ut in fundamento, in actione ut formâ & postremâ perfectione: In voluptate, ut in affectione: in natura & fortuna bonis, ut in instrumentis, in honore & gloria ut signo: in animi tranquillitate & vitâ natura consentaneâ, ut in fructu: In DEO, ut in objecto. In conspiratione omnium bonorum, ut cumulo.*

XX. Quapropter istis vel alijs aliorum vanis opinionibus nihil obstantibus rectè concluditur *summum*, quod hic quærimus, *Bonum* & maximam felicitatem esse *virtuosè agere*, rectæq; rationi congruenter vivere. Sicuti è contrâ *summa* & maxima est *miseria* turpiter a tatem traducere, *vitij* sese fœdare & cooperire.

XXI. In eo quippe bono quod est homini proprium ac domesticum non cum brutis commune, firmum ac stabile, non ad aliorum nutum mutabile, seipso contentum & propter se desideratur, inter omnia perfectissimum, humano tamen studio acquiri potest; *summa hominis felicitas est civiliter collocanda: Istæ namq; præcipuæ summi boni notæ ac proprietates* constitui solent. *Atqui honesta & virtuosâ actio est talis: Homini scilicet domestica & propria, belluis*

d ne.

Denegata secus quam corporeæ voluptates: firma & stabilis, quæ non ad aliorum lubitum variatur uti externus honor; &c: Ergo in actione virtutis & honestâ vitâ summa hominis felicitas civilis sita est.

XXII. Verùm obijcitur hic, latis ingeniosè: *omnis actio est propter finem: Si igitur S. B. est actio virtuosa; sequitur & illud esse propter finem alium, atq; ita non posse dici finem ultimum & summum bonum.* Quo enim datur aliquid superius & ulterius illud non est supremum & ultimum.

XXIII. Resp. per distinctionem, inter actionem ultimam, quæ ad ulteriorem finem non tendit aut dirigitur: Et intermediam, quæ semp finis alicujus gratiâ suscipitur. Atq; hinc limitanda venit major hoc modò: *Omnis actio intermedia est propter finem.* Si jam subsumatur de S. B., minor prop. manifestè falsa erit. Summū enim bonū nō intermediā, sed ultimā actionē sive operationem esse p se clarū est. Ultima nimirū in suo genere atq; ordine & finis summ^o; licet respectivè & in certo rerū gradu atq; ordine ad aliud nempe Dei gloriam, hominis æterna sal^o [ad quam temporalis ac civilis meritò dirigenda] à Christianis rectè referatur. Neq; enim absurdum est in alio genere supra se quid perfectius agnoscere, quod tamen in suo genere perfectissimum habetur: ita homo in suo genere perfectissimus esse potest, licet DEUM infinitis modis pfectiorē habeat. Et formica in suo genere pfectissima, Hominem tamen pfectiorem agnoscit.

XXIV. Atqui dubitari potest, immo à non nemi- ne dubitatum est, *an ejusmodi sententia, qua S. B. in operatione sive actione secundum virtutem constituit, inter Christianos toleranda & acceptanda sit?* Qui negant hunc potissimum in modum argumentātur; Si summa hominis Christiani beatitudo in bono increato consistit, videlicet in Deo & e-

ius contemplatione ac cognitione; sequitur eandem in
actione collocari non posse: Duo enim summa si-
mul consistere nequeunt, atq; pri⁹ est verū, juxta illud Joh-
17. v. 3. & similia scripturæ loca, E. & posterius. 2. Sen-
tentia hominis Ethnici de S. B. non potest aut debet esse
hominis Christiani; Sed hæc est vel fuit hominis Ethnici
nimirum Aristotelis, qui 1, Ethic. c. 13. & L. 10. c. 7. & 8. de-
finit S. B. seu beatitudinem quod sit *operatio anime rationa-
lis secundum virtutem optimam & perfectissimam in vitâ perfe-
ctâ.* Ergo hæc non potest aut debet ab homine Christi-
ano defendi.

XXV. Hisce tamen non obstantibus, opinionem
istam vel à Christianis sine absurditate foveri posse vide-
tur. *Quicquid enim probitatem & virtutis studium in ho-
mine efficaciter excitat, id Christiano indignum non est; Atq;
hæc opinio (S. B. in actione virtuosa consistere) probitatem &
studium virtutis summo opere & efficaciter excitat; Ergo homine
Christiano non est indigna.* Major propositio per se clara
est. quanquam enim virtutibus nostris aut bonis ope-
ribus æternam salutem mereri nequeamus. Honestas
tamen actiones & virtutum exercitia multis ac gravibus
de causis necessaria esse Oribadoni etiam Theologi rectè do-
cent. Vid. Ghemest. disp. 15. quod bona opera sint ne-
cess. Et Flatterus loco de bonis operibus quæst. III. Neq;
minor sive assumpt. obscurâ ratione nititur. Ecquis e-
nim id ipsum omni studio & summâ contentione non
se stabitur, quod beatitudine in atq; felicitatem summam
polliceri intelligit per se sumq; habet.

XXVI. Priori objectioni facile occurritur, adhibitâ
distinctione antea citatâ, inter *beatitudinem spiritualem &
civilem.* Illa in solo Deo ejusq; visione & contempla-
tione consistit, hæc vero in honestâ operatione. Un-

depropositio: restringenda ac limitanda ventis illis in
modum: Si *summa hominis Christiani beatus* & *visus in bono*
creato consistit sequitur eandem in actione collucari non posse; quæ sic
circumscripta, assumptio corsuit; neq; allegata ratione
vel aliter erigi aut stabiliiri poterit. 129 *anno bull. 1717*
XXVII. *solob. posterioris arguenda: vis infirma satis est, pro*

positio enim negatur, utpotè quæ simpliciter vera
non est. Neq; enim omne quod Ethnicis placuit, vel
illis tanquam inventoribus tribuitur, à Christianis indi-
scriminatum est rejiciendum. Quod Ethnicis artes mechanico-
cas multaq; præterea facias inventum sunt, pace & bello utiq;
illa, quæ propterea, dum modo in verò & legitimo usus ad-
hibeantur, rejicere stultum foret. Quin & sacra litera
honeste viventes ac recta facientes beatos pronunciant.
Math. 5. & 24. v. 26. Luc. 6. item Job. 13. v. 17. Et Apostolus Paulus Atratum
poetam Ethnicum citare, eiusq; Verbis sui religio non habuit Actor. 17.
v. 28. Quippe mundis omnia munda. Et tantum de hæc etiam contra-
verba præter dictum sufficiat. *1717 anno bull. 1717*
XXVIII.

Coronidis loco, præter eas distinctiones quas in facie:
Quæst: Ethic. Sect. 1. memb. 1. 9. 3. & 4. attulimus, hæc obiter notemus; Bo-
nitatem I. aliam transcendentele esse, quæ omni, eam, con-
gruentiam ad essentiam sibi debitam nihil deest. Omnia quippe à Deo creata erant valde bona
Genes. 1. 2. Aliam Naturalem, quæ id significat quod nature cuiuslibet con-
gruit: Ut homini bipedem esse, recte incedere. Sicut elaudicare &c. malum
& debita perfectionis privatio est. 3. Aliam moralem, quæ est actionis con-
gruentia cum recta ratione. Quam hic primario respicimus.

XXIX. Solet etiam Bonum dividi in *honestum, utile &*
jucundum. Illud per & propter se; istud commodi cau-
sa hoc saltem voluptatis gratia appetitur. Quæ omnia
in censum bonorum hæud merito referuntur, dum modo
honestas familiã ducat. Aliàs etiã in eodẽ sepe occurrit
XXX.

Summum Bonum Philosophicum, aliud Theoreti-
cum est, qd in jugi & pfectã entium & potissimum sum-
mi entis contemplatione consistit: Aliud Practicum, qd
hic jam in superiorib; declaratum est, prudentiã directam

1717 anno bull. 1717 B 2 *1717 anno bull. 1717* in

in honestâ actione consistens, plura quare apud Heider.
Philos. moral. part. 1. & alios.

XXXI. Malum verò unde miseria & infelicitas *Beatitudini* & summo bono contraria, p̄ essentiam nullum datur. Illud enim per antea posita, increatum & sic DEUS esset. Quod *Manicheorum* absurditatem redolet. *Nature* autem mala sunt defectus & adversa quævis, *mala pœna* Theologis vocari solita: *Morale* malum est ipsum vitium & omnis generis turpitudine, quæ *malum culpæ* audit; Ab ipso Diabolo introductum & per lapsum primorum parentum in omnes posteros propagatum. *Omnipotens æternus Deus*, à quo omne bonum, qui & ipse infinite & independentèr per essentiam bonus, ab omni malo nos liberet veriq; boni participes faciat.

PARADOX,

Homo vitiosus, quâ talis, magis à Deo distat quàm fera, vel jumentum. Piccol. gr. 9. c. 49. in. f.

Datur Eus bonum, quod est pessimum.

COROLLARIA

- I. *Deus est causa efficiens Summi Boni Universalis; humana verò industria particularis.*
- II. *Finis beatitudinis cui applicatur est ipse homo.*
- III. *Beatitudo & jucunda est, & honorabilis unde & voluptatem bonamq; conscientiam; & decus atq; honorem parit.*
- IV. *S. B. sive felicitas quâ essentiam non variatur; quâ gradus autem & ratione subjeetorum augetur vel diminuitur.*
- V. *Nihil. præter bonum appetitur.*

COLLEGII ETHICI
DISP. III.

De

VIRTUTIS NATURA
IN GENERE

Respond. ANDREA DANIELIS THREZIO Cuprimontano
THESIS I.

Cognitâ Summi Boni excellentiâ degustatâq; Beatitudinis & Felicitatis suavitate, quæ statum designat quo perfectior, tranquillior & jucundior in hoc mundo civiliter dari nequit; stupidus & ignavus imò pessimus esset, qui omni conatu ad eundem consequendum non contenderet: Quod aliâ quàm virtutis viâ & honestatis tramite fieri non posse jam antehâ conclusum est. De VIRTUTE igitur prius, præsentî hâc Disputatione, in GENERE; & postmodum de ejusdem speciebus, pro re natâ, agendum erit.

II. Virtutem à viro (alij autem à virore & vigore) communiter deducunt, quod viris maximè congruat: Non tamen ita intelligendo, quasi fæmineus sexus à virtute prorsus excludatur; Sed quod à viro, cuj natura majores ut plurimùm dotes contulit, magis exigatur. Videtur etiam non incommodè Virtus dici q: virum tuens; quod virtus homines instar clypei vel scuti contra quosvis exuberantium affectuum insultus aliâq; infortunia tueatur. Sic etiam græci ἀρετήν παρά τῷ ἀγγεῖ à Marte p Synechdochen dixerunt, cum virtus bellica præcipuè emineat: Quamvis non minus rectè ἀπό τοῦ ἀρεσκειν deduci possit; quod omnibus placeat; aut certè placere debeat. Germani Zugend à Zugen/valere; Sic innotiam

A
stra-

nostrates Dugd/á Duga vel Digher & Dygher/ quod ingentem, potentem sive pollentem significat.

III. Quamquam autem á sanis vix dubitari videatur virtutem in hominib⁹ etiã in hac vitã locum habere & inveniri; Non desunt tamen planè quæ occini queant; utpote 1. *Respectu virtutis: Virtus est divinum quid & res perfectissima; qua nisi in immaculato domicilio inveniri nequit; At nullus hominum est immaculatus.* E. Unde & Poëtæ passim Astra am aliasq; virtutes terras reliquissè & in cælum subvolassè testantur; 2. *A parte hominis; à quo virtutem prorsus exulare corrupta ejusdem natura & ad vitia tantùm prona facilè evincit: unde & Horat: expressè canit lib. 1. Sat. 3.*

- - - *Vitijs nemo sine nascitur* - - -

Hinc argt. *Quicumq; vitijs scates, is virtute prorsus destituitur; sed omnis homo vitijs scates.* Ergo

III. Nos nihilominus *Virtutem* in homine reperiri propter hæc rationes tenemus 1. *Homini data & relicta est non modò ratio, tanquam fundamentum virtutis; sed & potentia honestè agendi* (quæ brutis denegata, nec nisi improprie & per translationem sive metaphoricè virtutes eisdem tribuuntur:) *positis itaq; causis, effectus etiam ponitur* 2. *particeps fieri potest homo beatitudinis, quod supra probatum; Ergo etiam virtutis, siquidem hæc est medium ad illam perducens; &posito consequente ponitur antecedens* 3. *Vitia cadere in hominem extra controversiam est: Atqui tritus est canon: Opposita habent fieri circa idem: E. & virtutem in eundem cadere necesse est. Et 4. ut in re clara breves simus: Exempla atq; specula virtutum luculentissima, quæ nulli unquam etati defuere; easdem in mortalibus etiamnum inveniri luculentissimè evincunt.*

quod est, præsertim si pro omnibus numeris absoluti-
simâ sumatur; qualem in nullum hominem in hæc
mortalitate cadere ultro fatemur. At de virtute huma-
nâ perfectâ tamen in suo genere, nobis sermonem esse satis
apparet: quæ licet rarior sit, quæpe dicitur *ἀσπίς ἀσπίδα*: inve-
niri tamen posse, ubi animus exactâ virtutis cognitione im-
butus fuerit (hæc enim desiderium excitat, cum est contra ignoti
nulla cupiditas;) res ipsa clarissimis expimentis persuadet.
Addi præterea potest virtutem esse divinum quid effectivè, quod Dei donum
sit; subiectivè tamen humanum est; quatenus homini inhaeret.

2. Ad alterum Resp. *vitium interdum denotare habitum
vitiosum, interdum novos quosdam seu paraptomata cum vir-
tute facile compatiblea.* Poterit enim quis virtute u-
nâ vel pluribus inclarescere & excellere, quamvis ab
omni novo circa talia objecta non sit immunitus. Quod
præterea ad vitia pronus sit homo, non probat nullam virtutem
dari; sed sine studio, labore & frequenti exercitio ean-
dem non comparari. *Virtus itaque, quin obtineri possit am-
plius non dubitamus.*

VI. Est autem VIRTUS hæc nobis (non naturalis, qualis in herbis me-
dendi; non intellectuales quæ improprie virtutes dicuntur, nec Theologicæ &
infusæ ut Spes, charitas, fides intelliguntur.) prout in Erg. virtutea definiimus:
*Promptitudo in homine agendi secundum honestatis
normam, quâ omnibus affectibus tale injungitur mo-
deramen, ut tranquillus & beatissimus, qui in hoc
mundo haberi potest, status obtineatur.*

Quæ definitio licet verbis non nihil à tritâ ista:
*Virtus est habitus electivus in mediocritate consistens, desinitâ
quo ad nos sicut vir prudens eam definerit:* res ipsa tamen
parum ab eadem discrepat. Nostram autem nec præ-
postero novandi studio, nec vanâ præsumptione moti,

quod solennitèr protestamur, proposuimus: Sed ut paulò clariorem ac dilucidiorè in gratiam Philosophiæ tyronum adduximus.

VII. Clarior est ac dilucidior cum unusquisq; latinæ linguæ prorsus non imperitus, quid *promptitudo* sit mox assequatur; quid verò *habitus*, quid *habitus electivus*; quid, & quotuplex *mediocritas*, quid *vir prudens* & *prudencia* nisi peripateticâ Philosophiâ multum subactus, capere vix possit. Ut de eo nihil dicamus quod in *Aristotelicâ definitione* nulla *objecti* vel *subjecti*, quæ materiæ rationem hîc habent, mentio fiat; cum tamen ad *plenam essentia declarationem materia etiam cognitio requiratur*, uti mox exponetur.

VIII. *Generis loco* in definitione posuimus *promptitudinem in homine*, quod ne quis remotum esse arguat, *subjecta materia* & *sequentia definitionis verba* satis restringunt: eam nimirum intelligi *promptitudinem* quæ in animo est, homini propriâ, quamvis & ea quæ inferioribus inducitur facultatibus prorsus non excludatur.

IX. Dicitur insuper *promptitudo agendi*; ut ab intelligendi saltem, contemplandi & differendi &c. *promptitudine*, *habitus intellectualibus* discriminetur; utq; simul *externum objectum*, *actiones humane*, indigentur. Sicut *internum objectum Affectus* deinde subijciuntur, quò virtutis materia (ejusdè quoq; naturâ indicâs) inclarescat: Deniq; *forma ipsa*, *honestatè* sc. & *rationis normâ* tâquam *specificâ differentiâ* plenè declaratur. *Finisq;* tandem qui in practicis *principij* locum obtinet; subjungitur.

X. Atq; ita in definitione omnes omninò *causæ* exprimentur. *Efficiens enim Universalis*, quæ & omnium rerum, *Deus opt. Max.* supponitur. *Particularis* verò & proxima virtutum causa (post *supplicat* bonam &

re-

rectam institutionem) sunt *actionum bonarum frequentatio & crebrum exercitium*. Nec obstat, quod actiones virtuosæ virtutum sint effecta ; At nihil eiusdem respectu causa & effectus dici potest. Nā *R. Dist. inter actiones, quæ præpitudine sive habitu virtutis præcedunt & quæ sequuntur; illæ enim causæ: hæc a. effecta ejusdem merito dicuntur.* Neq; est quod obici: absurdum esse actionem virtuosam sive rectam, habitum virtutis præcedere. Cum notum sit etiam nondum acquisito habitu, actionem rectam & honestati conformem edi posse; at sine *debita voluptate ac delectatione*, quæ nota est habitus acquisiti, sicut *dolores & molestia*, non dū inductæ promptitudinis. Præterea trita est distinctio, inter virtuosum sive iustum aliquod, vel iustam virtuosamq; actionem producere; & inter iuste & virtuose agere: hoc tantum ex habitu procedit; illud verò etiam sine eodem. Sic Cambyles iustam actionem edidit, iniustum iudicem iuste puniendo; cum tamen cætera iniustissimus ac turpissimus fuerit, conf. Hor. phil. moral. lib. 3. c. 2. n. 9.

XI. *Actiones Humanae*, quas causas & media, quatenus earundem frequentatione habitus acquiruntur; quatenus vero ipsæ virtutum præceptis ad rectitudinem rediguntur, *objectum Philosophiæ activæ externum* constituimus, quodammodo quidem præcognitæ sunt; multa tamen uberioris declarationis gratia ab Ethicis hic congeri solent, quæ ad pauca revocabimus. Sunt enim vel *Spontanea sive voluntaria, quæ nec violentiâ externâ nec per ignorantiam admittuntur*. Sic Jacob suâ sponte sciens & volens Rachel in uxorem duxit. *Actio invita est contra, quando vel ignorantia actionis causa est: ut cum Jacob ad Leam ingressus est, vel externa vis nihil conferente ipso ad actionem cogitur*, Sic cum virgo ista perpulehra ab urso in sylvam raptata, cum eodem couefabatur Ioh. M. lib. 18 c. 2. actio virginis respectu plane invita fuit.

XII. Sed obijc. Divisionem istam actionum sufficientem non esse, cum detur medium: *Actio scilicet mixta, quæ simpliciter spectata invita est, finis verò respectu, quæ eadem agens*

agens intendit *voluntaria*: ne cum paterfamilias orto in vicinia
accidit noxas, utiles sibiq; charas ædes diruit, ne tota domus igni corripia-
tur; actio mixta dicitur, sicuti & cum naufragium metuens merces eicit.
At *Resp.* Quoniam *actiones ex fine & circumstantiarum ra-
tione* potius nûm æstimentur, hæ etiam eiusdem intui-
tu, quem omninò vult agens, *spontanea*, dicuntur.
Unius quippe ædícula, quam totius domus iacturam facere mavult & to-
lerabilius ducit.

XIII. Ut verò *Spontaneum* atq; *invitum* sese exse-
rant *Libertas* quædam in humanis actionibus omninò
statuenda erit: *quâ de negocijs civilibus ratiocinari atq; e-
ligere possit*: Nec cum Stoicis omnia fatali necessitate fi-
eri concedimus. Neq; tamen propterea *Dej providen-
tia* tollitur aut infringitur: utpote cum res omnes natu-
ræ à se inditæ congruenter, ordinariè, moveat atq; con-
servet. Et hæc ita paucissimis de actionibus & *causâ
virtutum efficientes*.

XV. *Materialis causa* in accidentibus quidem *propriè*
non datur, cum *materiam ex quâ* non habeant: *In quâ*
igitur & *circa quam* venari contenti sumus? Sed de *ma-
teria in qua*, haud levis nobis oritur controversia, quæ vel
exercitatissimos etiam ad tædium usq; exercuit: *An ni-
mirum virtutes morales pro subjecto agnoscant ipsum appetitum
rationalem seu voluntatem, anne appetitum Sensitivum?*
Quæ inter Scotum & Thomam aliosq; vehementer exagitata reperitur, vid.
Piccolom. gr. 4. cap. 7 & seqq.

XVI. Ut paucis nostram apperiamus sententiam:
Dicimus veritati & rationi maximè consentaneum vi-
deri: *Virtutes Ethicas* *primarium subjectum agnoscere ipsam
voluntatem seu appetitum hominis rationalem, tanquam
eiusdem habitus*; Sicut *scientie intellectus virtutes sive ha-
bitus* rectè appellantur. Rationes hujus assertionis hæ
sunt præcipuæ: *Virtus moralis est habitus electivus: Ubi-
cûq; igitur electio & libertas in homine locum habet ibi & virtus:*

Ubi

Ubi v. nō, ibi nec virt^o; Atqui electio^o & libertas nō in sensitivo
sed rationali appetitu locū habēt. 2. Sicut intel-
lectus per lapsum obscuratus habitibus ut quodammodo restitu-
atur, indiget & imbuatur speculativis, ita voluntas ut servos re-
belles inordinatos affectus compescat & in pristinam redigat ser-
vitudinem, virtutibus moralibus imbui necessum habet. 3. ubi pre-
cipue virtutes stabulantur, ibi & reliquæ; At præcipue virtutes,
Prudentia quæ est dux & Cynosura reliquarum, sine quâ nulla existit, uti & iustitia citra dubium
est τὸ δὲ ἰ. ὅ sunt, non in irrationali facultate. Etiam reliquæ
virtutes morales inibi tanquam in subie. to erunt. 4. Illa facultas
quæ actione suâ formalem virtutis rationem in proprio sine &
objecto assequi potest: Illa est prim. virtutis subjectum & non
alia: Atq; sola facultas rationalis formalem rationem
objecti & finem, ad quem virtus dirigitur, scilicet hone-
statem assequi potest (Sensitivus enim appetitus per se solum circa
obiectum delectabile, iucundum & commodum occupatur) & sola potentia
rationalis est prim. virtutis moralis subjectum. Et 5. Quod
homini est proprium, & non cum brutis commune id
in propria hominis facultate, & non cum bestiis com-
muni, ut proprio subjecto, est collocandum: Sed virtus
moralis est homini propria & non cum bestiis communis.
E. & per consequens non in appetitu sensitivo, sed rati-
onali sive voluntate, ut proprio subjecto est collocanda
XVII. Sententiæ isti quæ affectus pro subjecto vir-
tutum agnoscit sive occasionem sive fomitem præbuis-
se videtur sententia Pelagiana, quam cum alijs Pontifi-
cijijs etiam Piccolom fovit. Sedem nimirum & subje-
ctum originalis vitij, esse tantum inferiores potentias,
ipsam sensualitatem seu corpus tantummodo hominis:
Unde & pravitatem istam à superioribus liberi arbitrij

viribus facilè expugnari posse defendunt, atq; ita perfectam ab homine etiam in hoc statu peccati obedientiam legi præstari posse. Sed malè. Non est igitur mirum Piccolom. àtea cit: loco istam opinionem tanto fervore tueri: Et in sensitivo tantùm appetitu virtutum atq; vitiorum habitus collocare.

XVIII. Interim tamen negari vix potest: Sensitivum etiam appetitum virtute morali perfici, quamvis non ut prim: Subjectum attamen determinari ut objectum. Neq; est quod obijciatur: unam & eandem numero virtutem in diversis potentijs esse non posse. Cum id ipsum, diverso tamen respectu, fieri nihil prohibeat. Ita libertas arbitrij est radicalitè in intellectu formalitè verò in voluntate, prout tritum est; quin & res una pro diversâ consideratione ad diversa rerum genera revocari potest: Sic S.B. quod ratione fundamenti virtutis sc: ad qualitatem referri, absonum non est: ratione actionis, in quâ formalitè consistit, in prædicam: actionis rectè collocatur; ita habitus agriculturæ est quidem in rustico: quin tamen promptitudo quædam in bobus aut equis etiam requiratur, dummodo ritè procedat opus, inficias ire nemo poterit.

XIX. Sed rationes dispiciamus quibus virtutes morales sensitivo appetitui asseri solent, quarum hæc ut præcipuas Burgerisdic: ejusdem sententiæ defensor adducit: idæ. Phil. moral. c. 11. 1. Virtus versatur in edomandis affectibus: At affectus in appetitu sensitivo sunt non in voluntate. E. & virtutes morales. Resp. Nul- lam esse vel admodùm debilem in hoc argt: consequentiam: Virtus domat affectus Ergo hi sunt illius Subjectum inhæsionis. Non magis enim hoc sequitur ac si-

si dixeris: Rusticus domat taurum vel equum E. hic est illius subjectum inhaesionis. Quin firmiter concluditur: Virtus occupatur in domandis & coercendis affectibus, E. hi sunt illius objectum seu subjectum occupans; quod utiq; ultrò conceditur.

XX. Secundum argument: hoc est: Virtus debet in eâ animi parte collocari, quæ potest à ratione dissidere: At voluntas semper sequitur rationem. E. non potest virtus in eâ collocari. Respondetur 1. poscendo propositionis majoris probationem; Non enim tam propterea quod à ratione dissidere possit, quàm quod eidem obedire natus sit, virtutis capax est appetitus 2. Resp. sufficere voluntatem indeterminatam esse non solum ad opposita, verum etiam in modo bene aut male agendi. Quicquid autem ita indeterminatum est, illud virtute quæ in ipso resideat, indiget: Atqui non appetitus sensitivus, sed ipsa voluntas ita est indeterminata. E. Ideo quippe virtutes in potentijs ponuntur, ut quæ de se rectè & non rectè agere possunt, per illas regulentur ac determinentur. Unde ulteriore dissidentiam necessariam non esse satis manifestum est.

XXI. Tertium fundamentum quo virtutes sensitivo appetitui inesse invictè probare conatur; tale est: *Igniculi & semina virtutum sunt in appetitu sensitivo; nam etiam in pueris sese exerunt ante usum rationis. At virtutes & earum rudimenta in diversis subjectis collocare absurdum est.* Sed & ad hoc facilis est responsio 1. ad Maj. propositionem dici posset, illam non esse simpliciter veram, cum igniculi & semina virtutum interdum sumantur pro quavis inclinatione & habitudine tēpamēti aut pro virtute metaphoricâ: Sic dicimus in Leone esse semina fortitudinis, in formicâ igniculos prudentiæ &c: Sed cum hæc forte

minus ad rem faciant, quoniam hic de virtute proprie dicta agatur. Resp. 2. in pueris exserere sese virtutis femina sed & simul exserere sese usum rationis. Nisi eosdem plané irracionales, non minori absurditate, statueret quis velit; Vix enim dabitur exemplum ejus, qui sine omni rationis usu virtutis ignes aut semina spargat. Quales autem in pueris usus rationis, tales etiam virtutes morales, imperfectiores scilicet & scintillis q; quibusdam emicantes. Atq; sic patet rationes istas non adeo firmas, quemadmodum primo intuitu apparuerunt. Sed virtutum moralium subiectum seu materiam in qua esse voluntatem: appetitum verò sensitivum obiectum tantum internum & q; virtutum instrumentum.

XXII. Si enim adhuc obijciatur actiones prodire foràs mediante appetitu: ideoq; ut virtute instructus sit requiri, & sufficere eum dirigi à rationali facultate. Non secus ac satis est ad rectam viam tenendum, tramitem fessori sive equiti aut aurigæ notum esse, etiamsi eum equus vel ignoret vel tenere nolit. Ad auctoritatem Arist: quam Piccolom: alijq; tanti faciunt & 1. Eam manifesta veritati præjudicium non facere. 2. per τὸ ὀρεκτικόν & ἐπιθυμητικόν seu ἄλογον ipsam voluntatem intelligi, quæ respectu intellectivæ facultatis haud absurdè talis dicitur Conf. Hornei Phil. moral. lib. 3. c. 2. n. 7. Plura quæ apud Piccolom: & alios inveniuntur ipsi συζητήσαι reservamus.

XXIII. Quoniam igitur appetitus ille sensitivus, quem obiectum virtutis fecimus, ipsis affectibus exprimitur; ideoq; etiam hic de illis tanquam obiecto interno & materiâ circa quâ: sed paucis agendum erit, satè quatenus ad virtutis exercitiû spectat. Præsupponim⁹ itaq; Affect⁹ esse appetit⁹ sensitivi motiones cū nō naturali corporis motione,

tatione ab *objecto bono et delectabili, quod prosequitur atque amat vel malo quod aversatur et odit, ut conservetur et optabiliori statu fruatur.* Ita etiam quodvis irrationale animal escam sibi congruentem prosequitur; Verbera & laciones eodem sensitivo appetitu instigante effugere conatur. Duæ namque istæ sunt huius appetitus facultates concupiscibilis & irascibilis.

XXIV. Illius objectum est quodvis *delectabile, sive & jucundum*: Seu injucundum ingratum & acerbum; Hujus verò quicquid à boni vel sva viter afficientis consecutione prohibere videtur. Hinc omnes oriuntur *affectus virtute cobibendi*: sex in concupiscente, quinque in irascente facultate sese exerentes. *Amar* est affectus quo appetitus inclinatur ad objectum bonum; *Desiderium* ad rem amatam consequendam; *Gaudium* ad complacentiam & quietem in bono adepti: Sin malum & inconueniens objectum, *Odium* oritur affectus quando idem displicet; *Fuga* ab eodem retrahens & reuocans; quæ si non procedit, sed in malo detineatur *tristitia* oritur. Qui affectus in concupiscente appetitu inveniuntur, nimirum in *inclinatione, motu aut quiete*.

XXV. Pari modo in irascente se offerunt *spes* aut *desperatio* quæ sunt affectus circa bonum futurum, arduum & difficile; *metus* seu *timor* & *audacia* circa malum arduum & futurum (circa bonum præsens irascens appetitus affectus nullus est) ex malo præsentis arduo ira enalcitur. Qui omnes quatenus motus quidam sunt animæ sensitivæ, physices considerationi directè subsunt; moralitèr nec boni nec mali; Sed quatenus imperio rationis & voluntatis accomodandi hic considerantur.

XXVI. Hic verò ut communiter quæri solet, ita & adhuc non injuriâ quæritur; *An omnes affectus quætales moralitèr mali sint adeoque damnandi?* Quod *Stoici* (exuberantiam tamen, perturbationem *Cic.* vocat, & inordinatio-

nem magis quam affectus ipsos intelligentes;) asserere non dubitarunt. Ut autem paucis nos expediamus; ad gravissimum *Theolog. D. Chemanitium* hæsitantem remittimus, qui in loco de peccato orig. pag. m. 541. in hunc modum scribit: Non imaginandum est ex homine omnes affectus tollendos, aut omnes eodem modo damnatos esse, ut phanatici Anabaptistæ jactitant stoicã ἀπαρτεϊαν. Imo nulla est vita sine motu, sine appetitione, sine aliquibus affectibus. & lex Dei præcipit de Affectibus; Diliges Dominum: Diliges proximum &c. & post pauca: *fuisent in naturâ integrâ affectus: & in Cbristo fuerunt veri affectus* &c. vid. ipsi. Nulli proinde dubitamus Affectus moderatos & non exorbitantes sine vitio esse posse. Et tantum de materia virtutis; Cum pagellarum angustia plura non admittat.

XXVII. *Forma virtutis*, (quamvis nec eandem propriè dictam habeat, cum qualitates ipsæ sint formæ) ponitur ipsa *rectitudo & congruentia ad honestatis & rectarationis normam*: Sive, quod ferme idem est, laudabilis mediocritas ad vitiosa extrema nunquam deflectens.

XXVIII. Neq; hic adeo curiosè inter *μεσότητα καὶ ὑπερσότητα* distingvere necessariū videtur (ut ut aliquã discriminis rationem dari &, si subtiliùs ritemur, inveniri planè negandū nō sit:) *Quicquid enim laudabilem servat mediocritatē, modum mediūq; tenens, illud etiā debitam servat rectitudinem*: & é contra. Et sicut rectitudo est norma actionum, ita mediocritas; & vitium est q, d à debitâ mediocritate recedit, nō sec^o ac q, d rectitudine destituitur.

XXIX. *Finis virtutis* & sive cui applicanda est ipse homo; in cujus commodum actiones omnes suscipiuntur, ut beatitudinem adipiscatur: *Finis*: *δὲ* cuius gratiâ & propter quem, ultimus & absolutè summus est

gloria

gloria Dei, in suo genere summus est, de quo antea dictum, ipsa felicitas seu beatitudo civilis, & jucundissimus in hoc mundo status (prout definitione etiam innuitur) ad quem virtus dirigitur & dirigit.

XXX. Quicquid enim ad felicitatem ullatenus facit, id omne virtute paratur. Quæris voluptatem; in virtuosa actione summa datur. Cupis honorem; atque virtutem sequitur honos, ut corpus umbra. Desideras opes; At quotnam humili loco nati, in adolescentia pauperes, ad magnas demum divitias per virtutem honestè pervenerunt. Ad felicem statum Sanitas & bona valetudo haud parum conducit: Quin & ipsa virtute paratur & conservatur. Quis enim nescit, ut reliquas taceamus, Temperantiam bona valetudinis nutriendam esse? Et quod amplius est, ut felici conjugio, optatis liberis fruaris Virtus haud parum confert: & sic de similibus. Patet itaque nihil quod ad felicitatem facit virtute non parari. Sed de hisce in superioribus plura.

XXXI. Nunc de virtutis moralis scilicet divisionibus, & quotuplex illa sit, paucis etiam disseremus. Ubi primùm notamus antiquam illam Zenonis & aliorum priscorum Philosophorum, immò ipsius quoque Socratis & Platonis opinionem, unicam scilicet esse virtutem: adeò absurdam non esse. Nimirum quatenus est una recta ratio virtutem dirigens; quo sensu etiam Pythagoreus prudentia omnium virtutum mater indigitatur. Attamen: ut omnes virtutes morales commune genus communemque differentiam genericam scilicet habeant, specificas nihilominus atque proprias formas ex diversis subiectis diversisque operationibus petitas habere, atque ita plures species dari minimè negandum. Quod si non esset,

sequeretur eum qui unâ pollet virtute, nullâ destitui: hoc autem experientia refutat.

XXXII. Dividuntur insuper sive distinguuntur Virtutes vel gradibus vel specie. Illo modo in *imperfectam* sive inchoatam, qualis Tolerantia, continentia: *perfectam*, qualis antea in genere descripta fuit; *eminentem* sive Heroicam, qualis castitas Josephi; Fortitudo bellica **GUSTAVI, Alexandri, &c.**

XXXIII. Nota & Trita est illa Ciceronis lib. 1. off. Virtutum divisio in quatuor species, *Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem & Temperantiam*; quas vulgo cardinales virtutes nuncupant. Quæ nec plane reiicienda, nec per omnia approbanda videtur, cum non satis appareat quomodo omnes inferiores virtutes ad easdem accuratè & sine confusione revocari queant. In Platonis autem doctrinâ fundari videtur qui quatuor statuit animæ partes sive facultates; 1. *rationalem*, quam in cerebro, collocavit, à *Prudentiâ* dirigendam; 2. *Iram* in pectore per *Fortitudinem*; 3. *Concupiscentiam* in hepate; *Temperantiam*, moderandam. Ex quibus omnibus concurrentibus & benè concordantibus, dum syavis oritur harmonia seu concentus 4. *Iustitiam* extare docuit lib. 4. de rep. sed & hanc suo loco relinquimus.

XXXIV. Dispersit *Aristoteles* omnes virtutes morales in undecim species, sc. Fortitudinem, Temperantiam, Liberalitatem, Magnificentiam, Modestiam, Magnanimitatem, Mansuetudinem, Veracitatem, Comitatem, Urbanitatem & Iustitiam; quem numerum atq; ordinem virtutum non pauci Ethicorum mordicus tuentur. Nos tamen, salvo semper cordatorum iudicio, insufficientiam istius enumerationis facile ostendi posse putamus, hunc in modum: In quâcunq; divisio-

ne aliqua veræ species exultat, & quada species nõ distincte dis-
tingvuntur, illa divisio non est sufficiens; Sed in illâ Arist.
id contingit, E. Major est clara: bona enim distributio om-
nes partes seu species enumerabit. Minor ex seqq.
manifestior evadet: ubi non omnes illas enumeratas
specie distingui docebitur: Si enim Modestia & ma-
gnanimitas specie distingvuntur, quod hæc circa ma-
jores, illa circa minores honores occupetur, cur non &
Fortitudo & Temperantia quæ circa majora vel mi-
nora pericula, dolores aut voluptates versatur &c. Pie-
tatem verò in sequenti disputatione & virtutem Ethi-
cam esse probabitur cum brevitatis hic non sinat.

XXXV. Nos igitur potius virtutes dividimus in e-
as quæ vel Deum respiciunt, ut *Pietas*: Vel nos ipsos ut
Temperantia &c. Vel alios ut *Justitia* &c. prout in pro-
gressu patebit.

XXXVI. Cognitâ sic virtutis naturâ, quid ejus op-
positum sit vitium facilè dispalescit: nimirum prom-
ptitudo malè agendi &c. Contraria enim contra-
riorum sunt consequentia. Quemadmodû igitur habitus
virtuosus statim naturâ hominibus non inest, ita nec
vitiosus: ut ut inclinationem ad malum ex vitiosa
naturâ adesse cum gemitibus fateri necessum habeamus.

XXXVII. Hinc igitur consequitur non ideò sta-
tim vitiosum esse hominem, pressè loquendo, qui ex
imbecillitate aut præter intentionem affectibus abre-
ptus aliquid delinquit, quem mox sequitur dolor & pœ-
nitentia: Sed eum qui cum promptitudine, delectatio-
ne & voluptate malè agit, propriè & habitualitèr vitio-
sum esse.

XXXVIII. *Opponuntur autem Vitia quoad ob-
jectorum latitudinem magis sibi indicem quàm Vir-
tuti:*

tuti: quoniam longissimè à se invicem distent, ut nimium audere & nimium timere; Ratione autem sui ipsius magis discrepant; cùm toto, quod dicitur, genere distent: Fortitudo enim est virtus; audacia verò & timiditas vitia sunt.

XXXIV. Cautè igitur inter illa extrema tanquam periculosissimos scopulos, Scyllam & Charybdim, navigandum.:

Nam mala sunt vicina bonis; errore sub illo

Pro vitio virtus crimina sæpè tulit.

Et ab illo vitio, ad quod naturâ magis propendemus, accuratius cavendum & declinandum erit. Sic virtutis tramitem servare & in arcem felicitatis intramitti dabitur. Atq; hæc pro re natâ de VIRTUTIS NATURA, in genere hac vice, posita sufficiant.

COROLLARIA.

I.

Virtutes & vitia temperamentum sequuntur. Quoad inclinationem, non quoad complementum: ut causam disponentem solùm & remotam; non ut proximam efficientem.

2. Potest eadem actionis species à diversis personis edi, hic virtuosè ibi vitiosè. Ita Magistratus licite hominem propter delicta occidit: Privatus non item. Hic largius, requirente id corporis constitutione, cœnat temperantiæ limites non egressus. Alius eadem sumens mensura in vitio est. Hic decem thaleros dans liberalis est: ille avarus. Et sic consequenter.



COLLEGII ETHICI

DISPUTATIO IV.

DE PIETATE ET IUSTITIA

Respondente PETRO JOH. REFTELIO.

THESIS I.

Inter omnes virtutes, quas instrumenta & media *præcipua* esse consequendi felicitatem civilem, sæpius inculcatum est, PIETAS quæ Deum tanquam *objectum externum* & JUSTITIA quæ *homines* respicit meritò familiam ducunt. De hisce proindè primo loco haud sine ratione tractandum erit.

II. Verùm hic in limine statim sat gravem nobis paratam esse controversiam intelligimus; ubi haud pauci clarissimi atq; doctissimi viri maximè alienum ab hoc loco de *pietate* agere existimant: Idq; propter hanc potissimùm rationem; *aut intelligitur per pietatem amor erga parentes & propinquos, aut cultus Numinis. Si illud, non est virtus sed affectus bonus, qui à naturâ inest: sin hoc, non est virtus civilis, sed Theologica: Quomodo enim Deus colatur naturâ duce cognosci nequit, nedum cultus ille rectè peragetur illius viribus.* &c. Et si quæ plura in eandem sententiam afferri solent.

III. Sed pace tantorum virorum, quos non paucos in hoc passu contradicentes habem⁹, liceat mentem nostram liberé, citra ullius tamen injuriam, explicare. Dicimus itaq; I. Sive *Pietas pro Affectu* sumatur sive pro *virtute* erit *Ethica considerationis*. Ratio subest; de affecti-

bus enim eorumq; moderamine, quatenus virtute regendi, in Ethicâ agi debere manifestum est. Atq; pietas illo sensu, uti suppositum, est affectus. Ergò.

IV. Deindè *Ethici est agere de toto virtutum choro; sed pietas est virtus: Ergò Ethico de eadem agendum erit.*

Atq; excipitur virtutem esse, sed *Theologicam*: Ideoq; huc non pertinere. Verùm *Resp. Aliam esse pietatem salvificam, quæ omninò est virtus Theologica, aliam verò pietatem moralem sive Ethicam & Philosophicam i. Numinis divini cultum qui naturâ duce & rationis lumine haberi atq; institui potest.*

V. Ne verò sine fundamento hoc dixisse aut finxisse videamur, utriusq; distinctionis membrum facile probabitur. Nec de priori ullum esse dubium potest, cum omnes ultrò fateantur *salvificam pietatem dari*. Alterum sic confirmatur: *si datur naturalis aliqua divini numinis cognitio, exindeq; nata ejusdem reverentia & cultus, qui solo naturæ lumine educitur citra peculiarem S. scripturæ revelationem, sequitur etiam pietatem quandam Philosophicam & moralem dari, sed verum est prius, ergo & posterius.*

VI. Major est manifesta cum *pietas in genere nihil sit aliud quàm virtus Deum religiose ritèq; colendi: ritè scilicet secundum cujusq; populi religionem, ita Romani secundum institutionem Numæ Pompilij suos instituerunt cultus; Nostri majores suos Deos Ubsalienses piè coluerunt, licet non ad salutem æternam eo profecerint: ita Pythagoras docuit; Cujus Aureum præceptum primum, ex versione Elichmanni latinè sic habet:*

Dixit Pythagoras Primum eorum, quæ tibi præcipio post timorem Dei T. O. M. ut reverentèr habeas eos, quibus non decreta est mors à Deo, quiq; ejus sunt amici, ut illis amorem

exhi-

exhibeas eum quem approbat Religio &c. Et rursum, precipio, ut venereris gentes Terræ, faciendo quod probat religio in honore illis exhibendo &c. Et Isocrat. ad Demonicum ex version. Rod. Agricola, primum quidem pie divina colas, non solum sacrificans &c. & postea, Numen venerare semper quidem, praesertim quod civitas colit &c. Et iterum: Deum igitur time, parentes honora. Et Numen venerare semper &c. Ubi igitur religio aliqua & cultus Numinis; ibi suo modo etiam Pietas locum habet.

VII. Minor neq; operosa indiget probatione; partim enim ex dictis inclaruit, partim adhuc sacris & prophanis scriptis confirmari potest. Nam & divina litteræ opus legis omnium hominum cordibus inscriptum testantur Rom. 2. v. 14. & 15. ideoq; & inexcusabiles fore gentes, quæ naturalibus istis scintillis nihil moti, de vero & salvifico cultu vel nihil fuere solliciti, vel eundem oblatum praefractè rejecerunt.

VIII. In Ethnicorum scriptis infinita ferme sunt quæ pietatem ejusmodi dari evincunt ex plurimis pauca isthæc sufficiant. Notissima illa Cic. lib. 1. & 2. de Illis. Nullam esse gentem quæ Deos habendos ignoret. Et omnibus persuasum sit Deos esse qui inter alia qualis quisq; sit, quid agat, quæ mente, quæ pietate religiones colat intueantur &c. idem libro 1. Nat. Deor. Pietas iustitia quadam est adversus Deos. Sen. Ep. 118. Nec ulla gens usquam est aded extra illis moresq; projecta ut non aliquos Deos credat. Et de benefici. lib. 2. c. 1. Deos quibus honestissime supplicemus, tacite & intra nosmetipsos precamur.

IX. At regeri possit, prout etiam supra quodammodo objectum; *hic non esse virtutem aliquam, sed affectum solummodò amoris qui naturæ duce sese exerit.* At Resp. 1. affectum quidem hic adesse, sicuti etiam in cæteris omnibus moralibus virtutibus, quæ sine affectu aliquo exerceri nequeunt, cum in horum moderatione consistant. 2. pietas à natura inest, sicuti & reliquæ vir-

tutes, quoad semina quedam & inclinationem, inesse dici
possunt. *Fascic. Quæst. Eth. sect. 2. memb. 1. q. 2. Et 3.* In solo i-
sto affectu non sistitur pietas, sed ipsis gestibus, externis
& actionibus sese exerit adoratione, sacrificijs, precatione, de-
precatione, gratiarum actione, &c.

X. Unde adhuc argumentari licet: In quibuscunq;
actionibus hominum elucere potest honestas, aut turpitude, ibi e-
tiam virtus moralis locum habet, quæ circa hominum actiones
occupatur, quatenus in illis honestas aut turpitude elu-
cet; Atq; in actionibus humanis respectu Dei etiam in Eth-
nicis relucet honestas aut turpitude: Ergo etiam virtus quæ
illa quam pietas esse non potest. Cum ceteræ omnes
sub voce probitatis comprehensæ vel nos ipsos vel proximi-
um, ubi propriè accipiuntur, respiciant.

XI. Neq; est quod quispiam obijciat in cultu isto
Ethnicorum nullam merito dici posse honestatem
esse; Cum potius peccatum sit juxta illud *Apostoli ad
Rom. 14. Quicquid non est ex fide peccatum est.* R. enim hoc
& similia nihil ad rem facere, cum intelligenda sint de
foro poli & in negotio justificationis & salutis aternæ, ubi
omnes nostræ justitiæ sunt sicut pannus menstruatus *Esaj. 64. v.
6.* Nobis autem hic sermo est de actionibus in foro soli,
nimirum Philosophico, Ethico & Politico. Ubi certè
honestum erit Deum, quia inter omnia entia eminent, &
summum ac perfectissimum ens est: honorare atq; colere,
quippe id natura ipsa dicitur. Si namq; ideo pluris facimus au-
rum argento, argentum ferro, ferrum saxo &c. animata inanimatis &c. quia
illa his præstantiora; cur non Deum ipsum plurimi faciemus qui his o-
mnibus infinitis modis præstantior atq; eminentior? Hinc Cic. haud impie
lib. 1. de nat. Deor. Tam eximiam Judicavit esse Deorum naturam, ut de-
beat ipsa per se ad se colendum allicere sapientem. Et quis tam vecors ut
cum suspexerit in caelos non animadvertat rerum moderatores esse Deos?
quos certè colere honestum.

XII. Præterea, si *honestum est bene de nobis meritos homines amare*; quin & natura in brutis *ἀντιπροσώπων* implantavit, & naturaliter ad *ἀντιδῶρα* obligamur: *Quantò magis Deo qui nos fecit, conservat, sustentat, fovet, gubernat, &c. gratitudinem declarare longè honestissimum fuerit.*

XIII. Et 3. Deniq; si *justum ac severum judicem licité, meritò atq; honestè timeamus*; Quantò magis etiam Deum ipsum *justissimum scelerum vindicem* jure honesteq; timebimus, sic enim & Ethnici noverunt quod habeat Deus *ἐξουσίαν ὁμοῦν* imò, totus oculus sit, qui per omnes angulos etiam secretissima perspiciat.

XIV. Ex quibus omnibus & similibus, quæ satis copiosa si tempus & pagellæ paterentur adferri possent, sufficienter evinci videtur etiam *ex choro virtutum moralium, pietatem*: talem virtutem quæ de culru divino numini praestando agit, quatenus id lumine rationis fieri potest, *minimè excludendam esse.*

XV. Sed occini adhuc potest, non modò *inutilem & supervacaneam sed & intempestivam esse ejusmodi de tali pietate morali in Ethicis Tractationem*, cum longè veriolem, salubriorem & accuratiorlem in sacris literis habeamus, ubi de salvificâ pietate agitur? Resp. Minimè quidem diffitendum, paucula ista quæ in Ethnicorum monumentis de pietate præcepta habentur in respectu ad sacras literas *mutila valdeq; imperfecta, imò imperfectissima esse*, cum alij plures, alij unicum, alij etiam ignotum Deum coluerint: Et *animalis homo ex se non percipiat quæ sunt Spiritus Dei* 1. Cor. 2: v. 14. *Omni tamen utilitate hanc considerationem non carere vel hinc patet:*

XVI. Primò, quia sic manifestius dispalescit, *quantopere obtenebratum in spiritualibus intellectum habeamus, cum sa-*

pietissimos etiam in verâ veri Dei cognitione hallucinatos deprehendimus; Deinde, cum hinc eluceat etiam naturalis lumine probari posse Deum esse & pietatem colendam: ad verum Deum cognoscendum eumq̄, juxta patefactam voluntatem colendum accendimur. Et 3. Multi Christianorum magis impiè ipsis Ethnicis loquētes & vivētes eorū exemplis rubore suffundantur. Utpote illud Epicteti notatu dignum; si lusciniā essem, facerem quod lusciniā: Cum autem homo sim quid faciam? Laudabo Deum nec cessabo unquam.

Quid magis piè etiam à Christianissimo dici potuisset. Cum quo concordat illud psalmista [si saltem verum Deum intellexisset] lauda anima mea Dominum, laudabo Deum quamdiu fuero. ps. 145. v. 1. & ps. 104. v. 33. &c. Notum est & illud Senecæ cedro dignum, etsi Deos ad ignoscendum paratos scirem: propter turpitudinem tamen ipsam peccare nollem: Et illud semper tibi imaginare senem aliquem autoritate gravem & honore dignum præsentem esse, ne quid turpe committas. Verba Senecæ hæc sunt: Epist. 25. ex Epicuro. Sic fac omnia tanquam spectet aliquis; prodest sine dubio custodē sibi imposuisse, & habere quē respicias, quē interesse cogitationibus tuis iudices &c. At multi nominatenus Christiani, nec senem, Catonem, Scipionē, Lælium &c. nec sanctos Angelos, nec Deum ipsum præsentem venerantur aut recordantur.

XVII. Pietatis igitur moralis Tractationem planè non inutilem putamus, maximè si Theologica & æternum salvifica pietatis consideratio, non negligatur, sed ante omnia ex sacris fontibus hauriatur, cujus fundamenta & summa capita in Symbolo Apostolico atq̄ Decalogo continentur; ibi quid de Deo credendum; hic quid juxta ejus voluntatem agendum. Sed de hisce alibi. At si quis adhuc instet; Theologos etiam de hac pietate sive notitijs

Dei

Dei naturalibus agere, uti videre est apud Chemnit. Hut. Haff. &c. in loco de Deo? Resp. Theologos de hac sicut & alijs virtutibus moralibus suo modo agere, philosophicâ tamen tractationem philosophis propterea minimè dene-
gare.

XVIII. Habet verò & hac virtus, pietas, quemadmo- dum & reliquæ sua extrema. Quamvis enim obijci queat: Neminem nimis pium esse posse, Atq; sic vitium in excessu nullum dari. Resp. tamen Excessum hic ideo, non dici vel in excessu peccari, quod quisquam nimis pius sit verâ pietate & genuinâ, potest tamen in excessu peccari facatâ & adulterinâ, cum *præter receptam religionem* superstitiosus instituitur cultus. Quod etiam in alijs virtutibus obtinet. Ita nemo nimium fortis est, proprie dictâ fortitudine, sed nimis audendo, audax & vitiosus evadit. Ita etiam nemo nimium liberalis esse potest: sed si nimis & absq; modo profun- dit: prodigus audit, Et sic juxta pietatem in excessu pec- cari dicitur quando quis nimis anxie præter & extraritus patri- os, inter Christianos verò præter verbum Dei, novos cul- tus comminiscitur, metuit & angitur, ubi timore aut conscientiaë morsu opus non est. Hujus vitij species est *Deo & spioxia* ubi quis pro lubitu novos cultus imagi- num, hominum, &c. effingit, quod Pontificij faciunt.

XIX. Alterum vitium in defectu propriè impietas sive *atheismus* dicitur, cum quis omnem Numinis reve- rentiam abiicit & quasi Deus non esset vivere instituit psal. 14. Talis cyclops ille apud Euripidem, sic fatus:

Non ulla Numina expavesco cœlitum,

Sed victimas uni Deorum maximo

Ventri offero, Deos ignoro ceteros.

Atq; hæc de Pietate Philologica pro instituti ratione dicta sufficiunt.

| Gau

Gaudeamus autem & ex intimis pectoris penetrabilibus latemur, quòd in vulgari istà & cum Ethnicis communi non sistamur, sed ad sublimiorem, quæ promissiones habet non modo præsentis sed & futura vitæ, aspirare nobis concessam sit, eam videlicet ex limpidissimis Israëlitis fontibus haurientes. Quâ prerogativâ & felicitate dum ritè perfrui conamur, priorem *Decalogi* tabulam, quantum in hæc infirmitate fieri potest, ad exercitium revocamus.

XX. *In secundâ tabulâ, probitatem docente* primum sibi locum vindicat *Iustitia*, alterum disputationis hujus *objectum*, quæ à jure denominationem habet, in quo sistitur: quamvis non ineleganter alij p. quandam literarum metathesin, justitiam quasi Vistitiam dictam velint, utpotè quæ vim sistat. Si obijciatur nobis l. i. ff. de justitia & jure. Ubi jus à justitia derivatur. Resp. hic observari à nobis derivationem grammaticam: ibi logicam: ibi rei; hic vocis. Ita ut derivatum à primitivo nominaliter, hoc vicissim ab illo realiter descendat. Sic homo ab humanitate realiter: humanitas ab homine verbaliter deducitur.

XXI. Per justitiam non intelligimus naturæ quendam instinctum absq. voluntate, qualis in Delphinis prædam partiendi teste *Aliano* lib. 2. de animalibus, reperitur (qui tamen justitiam minus propriè appellat eamq. etiam leoni tribuit lib. 5. e. 50.) sed in hominibus: Non tamen omnibus, cum *inter latrones vera justitia non sit*: quippè inter quos mera regnat injustitia, dum publica & privata jura violant. Nos verò justitiam hic intelligimus quæ pietatem in Deum non negligit, honestamq. vitæ societatem non dirimit. Justitiam præterea hic non indigitamus Theologicam, divinam, caelestem & spiritualem prout fasciæ: quæ

quasi: Eth. sect. 2. mem. 3. q. 1. innuitur sed philosophicā; Quamvis etiā in scripturis iustitia alia Mosaica, externa & carnis dici soleat, alia interna, Christiana & spiritus. Adeoq; in Pharisaicam & veram; veterem & novam; illa præcipit & nihil implet; hæc omnia implet, quia Christus eius est fundamentum qui est legis implemētum, nec nō in iustitiā personæ & facti: sed de hisce alibi.

XXII. Nobis igitur hæc vice **IUSTITIA**, in genere, est *promptitudo justè vivendi; suum cuiq; tribuendo.* Generis loco *promptitudinem* potiùs quàm *virtutem moralem* collocamus, quia in generali hac acceptione *Iustitia* etiam *universalis* includi debet, quæ cum *virtute morali* retrocommeat & æquè latè patet; quare hæc illius genus esse nequit. *Forma* in eo consistit, ut secundum eam *justè vivatur & suum cuiq; tribuatur.*

XXIII. Dividitur *iustitia* ita generaliter sumpta in *Universalem* & *particularem*; *universalis* nihil est aliud, quàm *universa virtus*; id est, *omnium virtutum complexus*, quatenus ad aliorum commoditates, publicum & privatum usum sese diffundunt. Juxta tritum versiculum

Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Ita quod fortis Reip; & concivibus defensionem, hostibus verbera tribuit; Temperans sibi quantum decet ex cibo potu &c & aliis quantum illis; & sic consequenter, *iustitia* universalis est. Quæ proinde sola ratione i.e. certo quodam respectu potius quàm reapse ab omnium virtutum complexu differet.

Virtus quæppè dicitur *absolutè* in habète cōsiderata, *iustitia* respectu aliorum, cū igitur virt⁹ in *iustitiā* & cæteras virtutes dividitur, *Homonomie*, poti⁹ quædā explicatio est & æquivoci in sua æq; vocata quæ generis in species divisio.

XXIV. *Particularis iustitia* est *virtus moralis*, quæ suum cuiq; de bonis externis tribuitur vel cōmunib⁹, ad merita tamē habito respectu; vel particularibus & singulorum, sine Personarum intuitu: Undè & hæc duplex existit, atq; in *distributivam* *diagonalicam* & *commutativam* ἐπιμετρικὴν subdividi solet.

XXV. *Distributiva* locum habet in ijs quæ omnibus reip. membris proportionaliter *communia* sunt, *bona* vel *mala* id est, *commoditates* vel *onera*: ubi non secundum p-

sonarum numerum, sed peculiarem dignitatis respectum, geometricam vocant proportionem, distributio instituitur. Ut cum agri publici inter cives, præda inter milites partiunda fuerit: aut tributa, collectæ, aliave onera, non ratione facti vel delicti, sed aliarum circumstantiarum respectu, irroganda veniunt.

XXVI. Commutativa iustitia quæ sine ullo personarum, proprie loquendo, respectu æqualitatē mercis & precii, delicti & pænæ exigit. Unde arithmeticā proportionē requirere dicitur, ubi etiā aliās inæqualibz æqualia tribuuntur. ut cum mercator pannum, sericum, vinum eodē precio principii, rustico, nobili, militi, studioso &c. vendit:

XXVII. Statuit quidem *Wesemb.* Ictorum lumen, quem & communiter sequuntur alij simul & Ethici, præmia atq; pænas secundū geometricā proportionē seu distributivā iustitiā inferri debere i. q. d. in l. 10. ff. de pænis legam⁹. In servorum persona ita observatur, ut exemplo humiliorum puniantur & ex quibus causis liber fustibus cæditur, ex his servus flagellis cædi & Dno reddi iubetur &c. undē respectum personæ habere atq; sic geometricam proportionem observari argumentatur. s. l. 16. ff. ult. ff. eod. tit. dic. Nonnunquam evenit ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quotiens nimis multis Personis grassatibz exēplo opus est. Et 3. deniq; gravius punitur famosus, quam integræ famæ l. 28. ff. eod. tit. s. in. plebeis quā egregius, presbyter quā laico l. 8. c. de Episcopis & clericis &c. quæ omnia hic enumerare nimis longum foret. Consul. *Wesemb.* paratit. in ff. de iustit. & jur.

XXVIII. Hisce succeturiari videtur nō pauca etiā de *jure nostro Svecano*, ubi diversis psonis in eodē delicto *diversa decernuntur pæna*, & ratione personarum delicta variant, utpote maiorennis & minorennis c. 18. *Sar. Bal.* medij wilit *L. L.* & c. 19. *St. L.* eod. cum anteced. Mas & femina. c. 36. *Ed. S. B. L. L.* cum antecedentibus collata. In senatorem & magistratum gravius delinquitur quā in plebeium c. 9. *Rong. B. L. L.* c. 8, 12, & 26: *St. L.* eod. tit. & c. 27, *Ed. S. B. St. L.* Adde artic. 21. cum seqq. Jur. milit. *Svec.* quibus etiam accedere videtur *jus divinum* quod gravius puniri vult eum, qui P:pi populi quā qui privato maledixerit: aliter qui sacerdotis quam qui privati civis filiam violasset, & vicissim qui servum occidisset mitius eo, q̄ liberum è medio sustulisset decernitur *Exod. 21. 21.*

XXIX. Verūm hæc & similia suprapositis nihil officiant. Nam resp. i. in genere (quo ipso simul nobilis

illa quæstio deciditur, an & quaten⁹ personæ respectum habere iustitia permittat? qualitates & circumstantias facti ex quibus delicta dijudicanda, quæ ex *causa, persona loco, tempore, quantitate, qualitate & eventu ponderantur*, uti patet supra citat. tit. ff. de pœnis, non hoc innuere, personarum respectum habendum esse, atq; sic *geometricam proportionem servandam*: sed *ex circumstantiis delicti quantitatem dijudicandam*, ut pœna juxta leges commutativæ iustitiæ arithmetica proportione appendatur; & *quantum quis deliquerit, tantum etiam vicissim pœna sustineat.*

XXX. Deindè 2. Resp. sæpè *eandem pœnam videri, cum tamen eadem non sit*: & vice versâ, *diversam vulgò judicari, cum tamen eadem sit*; Non enim ex facto tantum inferentis, sed etiam & potissimum ex qualitatibus sustinentis pœnæ quântitas dijudicâda venit. Ita cit. l. 10. ff. de pœnis, *libero homini fustibus cædi minor pœna non est, quàm servo* utpotè verberibus & fustibus assveto, calle obducto eadem nihili pendenti: *virgis cædi, utut primo intuitu atrocius videatur.* Equis enim ignorat etiamnum inter nos in libera Rep. ubi servitus propriè dicta ignota est, reperiri tamen servilia interdum ingenia, quæ verbera tunsiones, flagellationes; non dicam obiurgationes, ne hili faciunt. Et experientia testatur, heroicis ingeniis levi increpatione lachrymarum flumen excutiti, quàm aliis duræ cervicis, fustibus ac flagris vel guttulam expresseris. Quis igitur non animadvertat pœnam *equalem hic maxime inaequalem futuram.* Et ut delicto adæquetur ac commensuretur, diligenti & attentâ circumstantiarum talium ratione opus esse.

XXXI. Et 3. deniq; *nec omnia delicta quæ prima fronte videntur eadem esse, statim prorsus eadem sunt*: Nam cum delinquit aliquis malè educatus, peccatis innutrit⁹ & vitioso habitu occupâtus, qui nihil quicquam malo resistens id cum delectatione perficit, nec ullâ deinceps pœnitentiâ ducitur; quis dubitat eum gravius peccare *homine honesto, frugi, benè educato, qui præter intentionem, aut*

post gravem cum affectibus luctam, seriâ mox ductus penitentiâ aliquid admisit? Ubi igitur levius peccatum, ibi etiam levior pœna jure meritoq; esse debet. Atq; hinc est, quod nobilis ignobili sine iustitiæ læsione diversa & leviori interdum pœnâ puniatur. Præterea ex actionû humanarû circumstantijs notum est, gravius eum peccare, qui *deliberato animo* & pleno iudicio; quàm qui *imprudenter* & *per ignorantiam* deliquit; Cum igitur minorennis, puer, fœmina infirmitate quadam iudicij, sæpè etiam contra propria commoda laborare præsumantur; atq; sic *minus delinquant*, minor etiam jure illis supra citatis textibus pœna destinatur.

XXXII. 4.^{to} & ultimo; cum factum ex circumstantijs dijudicandum sit, non est mirum ex personæ, in quam delinquitur qualitate idem *aggravari* aut *elevari* vel mitigari. Et sic propter hanc personæ circumstantiam diversâ pœnâ applicandam esse: Non qd hic *personarû respectus* & sic *geometrica proportio*, tâquâ in propria aula regnet; Sed quod illa *circumstantia delictis diversitatem inducat*: Gravius quippè est, parentem pulsare quàm extraneum; Magistratum quàm subditum, præceptorem suum quàm discipulum &c. Undè & pœnæ diversitas & gradus oriuntur; qui omninó observandi, ut pœna delicto æquiparetur, nec major vel minor evadat; & sic *arithmetica proportio* servetur.

XXXIII. Ex jam dictis ad allata in contrarium, vel si quæ alia afferantur, in proclivi erit respondere & ostendere *ignorantiam quandam Elenchi esse*; ubi ea opponuntur, quæ tamen opposita nullatenus sunt; utpotè *circumstantiæ illæ quæ factum variant, arithmeticam proportionem minime excludunt*. Sic E. G. Nobilis emit ulcram panni 20 thaleris; rusticus 5q; thaleris; annè hoc propter personarum respectum? Minime. Quin ideo quod nobilis pecuniis magis abundat; eiusq; personæ & statui preciosior habitus conveniat; Rustico omnia minora, hoc contingit & sic de similibus, ubi aliquis adest personarum respectus: *proportio tamen*

potissimum attenditur *arithmetica*; atq; ita *justitia commutativa* viget.

XXXIV. Interim diffidēdū minimē videtur, qd satis ingeniose Bod. de Rep. l. 6 c. 6. oblat. a. ut, ut cunq; eum alii flagellat, sed h. l. frustra ubi asseruit exactam hic *proportionem geometricam* vel *arithmeticam* locum habere non posse, quod illi optime intelligunt, qui accuratam Matheseos cognitionem habent, sed requiritur tertiam quandam *proportionem* sc: *harmonicam*. Quod etiam verissimum. Quis enim ita in divisione prædæ vel aliorū publicorum bonorum *mathematicam* *ἀξιόβειαν* servare, ut exactē ostendat quot partes huic præ illo debeātur, ut nō aliquot 3t. 4t. 8^v &c. vel scrupula supersint aut desint, hæc itaq; *harmonica proportio* supplebit. Sic eodem modo in contractibus: *arithmetica proportio* exigit ut eodem planē, precio uni atq; alteri idem mercis genus dividatur, quò *justitia* servetur.

Atq; sæpè contingit mercatorem propter amicitiam vel quod numeratā pecunā hāc vel illā monetā iam indigeat, huic minoris quam aliis idē mercis genus dividere; annē ideo statim iniustus erit? Vix statuendum. Sed fatendum potius *harmonicam proportionem* si ve *circumstantiarum considerationem* quæ omnia ad consonantiam revocet, locum habere: sicuti cum *summus magistratus* illis qui de Rep. meriti sunt, ita exacte ad rigorosas *proportionis* ll. *mathematicæ* satisfacere nequit.

XXXV. De *personarum respectu*, maximē in *penarum* inflictione adhuc obiter notamus: *personæ* vocem ambiguum esse: 1. *Interdum* sumitur propriissime & *substantially* pro individuo per se subsistente. 2. *Interdum* pro *circumstantia personæ*, quæ factum nihil quicquam attingit, illud nec aggravat nec elevat: utpotē quod sit dives, pauper, amicus, cōsagvineq; potēs &c. Et 3. interdū pro *circūstātia* aut *cōditione factū elevāte*, ut qd fuerit iusto timore pculs, imbecillis iudicij, necessitate pressus &c. vel *aggravante*, ut

quod nulla necessitas impulerit, nullus error duxerit, sed de industria & eius voluptate peccari. Hujus personæ ut tertio loco accipitur respectum habendum, divina simul & humana jura mandant: illarum verò severè prohibent.

XXXVI. Solent hic etiam sub *justitiâ commutativâ*, ut proprio loco de *Contractibus* agere *Ethici*, quatenus in ijsdè honestas elucet; ubi q. d. inter alios p. m. *Nicola^o Hânn^o dis. Eth. 9. th. 7. quærit de usuris ane etiã ullo modo honeste sint?* Agnosceimus equidem quatenus conscientiam spectant ad Theol. pertinere de iisdem decidere; quatenus de iis in iudiciis pronuntiandum; ad ICos; quatenus verò reip. profint vel obfint, ad specialioiorem partem, politicam scilicet, hanc tractationem metito reiiciendam: Nihilominus tamen, quatenus de honestate quæritur, hic non immeritò attingi.

XXXVII. *Usuram ab usu dictam & derivatam ipsa vox & genius Latina lingvæ indicat, quamvis vulgariter & dicitur* pro lucro quovis propter mutuam pecuniam supra sortem cum damno debitoris exacto non rarò accipitur, & sic cum scœnore coincidit: Qualem *Theologi communitè omnes ex lege Dei damnant & interdiciunt.* Hic verò propriè per *usuram intelligimus id, quod pro usu aliena pecunie ad lucrosas negotiationes translata secundum leges accipitur & sorti accedit.*

XXXVIII: *An verò talis usura ulla honesta esse possit: etiam inter Philosophos disceptatum est. Neg. Arist. 1. pol. 7. Quia nummus natura sterilis est, & ex se nummum gignere nequit; ideoq; & τὸνος (usuram vertunt) omnis contra naturam adeoq; inhonesta erit. Verum hic non immeritò ponderandum videtur, pecuniam, ut & alia, dupliciter considerari posse, vel ratione sua substantiæ, vel ratione usus: Ratione essentiæ sive substantiæ steriles sunt: neq; n. nummus in arcâ asservatus nummum ex se se parit, sicut nec domus non inhabitata, domum vel aliud quicquam gignit; nec ager agrum, vel frumētum aut fœnum in horreum cõvehit, nisi cultura accedat. Ratione usus verò & pecunia & alia res non steriles, sed maxime frugiferæ sunt: Quod res ipsa testatur,*

XXXIX. Pecunia igitur usu prodesse potest non dubitamus, & usum illum non minus quam & aliarum sine damno, & potius cum emolumento proximi honestè elocari aut divendi posse, rationes sequentes svadere videntur. i. Quicquid naturæ & rectæ rationi congruit, illud est honestum: sed ex pecunia alijsq; possessionibus vel per se vel per alios usum accipere, naturæ congruit & rectæ rationi, *χρηματα ἀπὸ τῆς φύσεως* dicta sunt: & quid mihi divitiæ si non conceditur usus; Etiam ex pecuniis usum capere honestum est vel per se vel per alios, quæ est usura.

XL. 2. Quod pluribus prodest & nemini nocet, id inhonestum non est; Sed pecuniam honestè lucranti dare ut aliquid ex lucro participes, pluribus prodest & nemini nocet. Sed objice, animæ nocere; Deut. 23, Ezech. 18. pf. 15. &c. verum docent & Theologi & contextus ipse de mordente usurâ ibi loqui Sp. S. & multiplicatione iniquâ. Quæ nō tātum ex pecuniâ sed & aliis iniquè exigitur. Sic etiâ Magistratus nimis onerans subditos exactionibus; pastor Ecclesiæ, si nimis gravat auditores; Præceptor discipulos vendentes inique emungant & circumveniant emptores, vel vice versâ; opifices eorum operâ indigentes si avarè tractēt, iniusti sunt, & Tharbit: ut loquitur Propheta, si ve iniquam multiplicationem accipiunt.

XLI. Quin potius, ex ipso textu sacro hæc sententia stabiliri posse videtur: si enim mordens fœnus & injusta multiplicatio damnatur, tum non mordens & justa ac æqua permittitur. Imò expressè conceditur Deut. 23. v. 20. & pro benedictione divinâ reputatur Deut. 15. Quicquid igitur in aliquod genus hominum jure divino exercere licet, id moraliter non est prohibitum, ideoq; nec simpliciter inhonestum: Quod enim in lege morali vetitum, utpotè non occides, non furtum facies, non mœchaberis &c. id in nullos hominum ordinariè concessum: Atqui usuras in extraneos exercere etiam postquam pacificè & amicè cohabitabant Deus ipse permisit, cit. Deut. 23. E. omnis usura simpliciter inhonesta non est. Si videlicet ab ijs qui pecuniâ lucrari possunt, moderatè & secundum leges sumatur.

Non

XLII. Non urgemus quod salvator ipse ex usurarijs similitudinem duxerit, *sine improbatione* Matth. 25. Neque illud 1. Timot. 5. v. 8. neque 2. Corint. 8. Nec illud Strigelii, pravam nocendi intentionem tollas, usura beneficium non onus erit & alia per plurima. Breviter saltem hoc argumento concludimus: *posito uno relatorum, ponitur & alterum: At qui pecuniâ ulterius opimum lucrum accipit, creditori pro terra lucri honeste dare potest, cum id nulla lex prohibeat: quoniam in omni* **injungat:** cum contra ius naturæ sit alterius detrimento locupletior fieri, l. 10. 6. ff. de R. I. & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam quam mors, inquit Cic. 3. offic. Et natura ipsa ad gratitudinem obligat.

XLIII. Interea tamen non statuimus ex ipso *mutuationis officio aliquid honeste exigere* posse, quod vulgus feneratorum turpiter facit, hoc enim & naturæ mutui & regulæ Christi Lu. 6. *mutuum date nihil inde sperantes*, contrariatur. Quamvis hanc nonnulli Theologorum arctius restringunt. Sed ex legitimo contractu ad interesse creditoris, dummodo locupletior factus fuerit debitor. Conf. jus nostrum cap. 5. *Nadstuswobalken.*

XLIV. Solenniter autem cum Clariss. Theologo Doct. Johanne Forstero problem. Theolog. Decad. 3. problem 25. th. 114. in conspectu Dei & sanctorum Angelorum protestamur, nos his ipsis iniquorum usurariorum & feneratorum causam minime agere, vel illorum turpitudini vel tantillum patrocinari: non nescientes avaritiam omnium malorum radicem esse. Unde & hanc ipsam eiusque sobolem usuram pii & cordati concionatores oratione gravissima ex verbo Dei, hoc potissimum exulceratissimo seculo, ubi vitia pro virtutibus habentur, taxare & intrepide damnare rectissime haud desinunt. Igitur vid. Hutter. Gerhard. & alii in hunc loc. nostrum vero erat Philosophicæ & distinctius reprehensuræ & seapham seapham appellare ac mentem candidè exprobrare Rectio: a monstrantes grati sequemur. Non ignari graves Theolog. D. Chemnit. aliosque omnem usuram prorsus damnare, uti & Polit. eos quosdam, cum Botero pol. ill. l. 1. C. 14. nec non ICtos ut Author. Matth. Disp. de usuris. Plur. Besold. Consider. Pol. de vita & morte.

COLLEGII ETHICI
DISPUTATIO V.

De

MANSVETUDINE.

Respondente GEORGIO ELINGIO Sudermanno.

THESIS I.

Sicuti proximâ disputatione de *Virtutibus* priorem *Decalogi* tabulam & primû posterioris tabulæ præceptum, 4tum videlicet in ordine spectantes egimus; ita hâc vice ad *stum* Præceptum, quod occidere vetat, transitum faciemus. Quo ipso *dua* potissimum injunguntur; alterum ne proximum lædamus; alterum ut nostram nostrorumq; vitam legitimè tueamur. Undè etiam *duæ* virtutes Ethicæ non ignobiles, *Mansuetudo* scilicet, atque *Fortitudo* emanant. *Quarum* priorem hâc disp. considerabimus, posteriorem ad sequentem rejicientes.

II. *Mansuetudo* dicitur quasi *manui* *asvetudo*, sicut *mansvetus* quasi *manui* *asvetus* i. e. *cicur* & *tractabilis*, undè & de brutis, maximè domesticis, propriè dicitur. Hinc argumentari quis poterit hunc in modum: *Quod* de *bestijs* propriè dicitur, id *virtus* *moralis* non est; ea quippe in bruta & bestias minimè cadit. Atqui *Mansuetudo* de *bestijs* propriè dicitur; Ea enim primariò *mansveta* i. e. *domita* dicuntur. E. *Mansuetudo* non est *virtus* *moralis*. Et per consequens gratis de eâdem hic loci pertractatur.

III. Verùm Respondetur ex *Fascic. nostro* *controversi: Ethic. Sect. 2. Memb. 4. q. 1. Mansuetudinem* non tantum jux-

ta primam impositionem sumi, quatenus brutis proprie tribuitur; verum etiam pro excellu in ignoscendo, quo sensu Mansuetus dicitur qui etiam tam non irascitur quando iuste & honeste irasci posset atque deberet: Et adhuc vel maxime & usitatisime ac philosophice mansuetus dicitur qui in irascendo & ignoscendo laudabilem atque honestam mediocritatem servat.

Et sic Mansuetudo est virtus moralis irascendi appetitum recte componens ne ob aliam causam, citius vel serius, diutius vel brevius, plus vel minus quam par est irascamur. Quae non modo virtutis nomen meretur, sed vel omnium maximae necessaria est. Cum reliqua vitia impellant, ira precipitet: ut cum Seneca loquamur. Patet igitur primam acceptionem propriissimam quidem esse, ultimam tamen usitatissimam. Et sic maior propositio corrumpitur, potest enim in aliam acceptionem inausitata nihilominus virtutis nomine gaudere ac salutari.

4. Regeri tamen adhuc poterit; Sed bruta interim iidem iram interdum cohibent atque ferociam deponunt & mansuescunt, ita ut non irascantur plus vel minus &c. quam par est; Prout leonum exemplo, qui viliora animalcula contemnunt & hoste prostrato mitescunt &c. probari potest. Verum resp.

1. Non esse virtutem siquidem a ratione non procedit, neque ejus ductum sequi potest, cum eadem omnia bruta destituantur. 2. Ut aliarum virtutum ita & hujus vestigia quaedam & simulacra etiam in bestiis reperiuntur, ut supra inductum. Et 3. Quod in brutis laudabilis est instinctus naturae, id in homine, accedente libertate & rationis ductu, virtus evadit.

5. Praeterea & haec ad nostrae sententiae confirmationem sic argumentari licet: Ubi cumque in actionibus humanis honesta & laudabilis mediocritas ad rectae rationis normam exacta elucet; ibi est virtus moralis; Sed

circa iræ moderationem honesta &c. E. ibi est virtus
moralis quæ est ipsa mansuetudo. conf. Thes. 10. præcu-
dent: Disputo.

6. Potest insuper hoc loco non injuriâ vitulari quæ-
stio, quæ de Fortitudine atq; formant, *An etiam in statu in-
nocentia Mansuetudo locum habuerit?* Licet autem quæstio
non adeò necessaria, decisio tamen non inutilis futura.
Pro negativâ sic argui potest: *Negato objecto est virtus ipsa
negatur, quæ radicaliter ab objecto dependet: Atqui in statu in-
tegritatis nullum erat objectum mansuetudinis* (sicuti nec for-
titudinis) *quod homini, molestum esse iram excitando* (pericu-
la, terrores, mortem, paupertatem afferendo &c.) *vel
incommodare posset; E. in statu integritatis Mansuetudo* (Forti-
tudo) *non fuit nec esse potuit.*

7. Quid respondeat *Dithmarsus* vid: *ejus System. Ethic.
lib. 3. part. 3. Exercit. 3. Disquisit. 2.* Nos autem breviter
& simpliciter respondemus. 1. Negando majorem
prop. Nam vel adhuc ante lapsum fuit Diabolus omnis
mali, molesti, calamitatis, iræ & mortis causa. 2. *Ob-
jectum virtutum duplex esse prout in confesso est; Aliud
internum ipsum sc. appetitum; hic irascibilem & affe-
ctum iræ vel metus aut confidentiæ; Aliud externum, qd
facultatem movet atq; affectum extrinsecus excitat.
Quamvis autem hoc defuerit; illud tamen ideò non ad-
esse non potuit. Cum omnibus facultatibus instructus
& affectibus obnoxius etiam ante lapsum homo fuerit.*

8. Firmius igitur pro affirmativa sic ratiocinari li-
cet: *Ubi omnium virtutum chorus, nullâ exceptâ, est quidem
in gradu excellenti reperitur; ibi etiam mansuetudo (& Forti-
tudo) adest; Sed in Adamo etiam ante lapsum omnium virtu-
tum chorus repertus &c.* Alias enim deterioris fuisset con-
ditionis Adamus ante, quàm sunt homines iam post

lapsum, quod est absurdum. Deterior enim est quæ pauciorum virtutum capax est. Ergo etiam in Adams ante lapsum *Manu vetudo* (& fortitudo) aderat.

9. Sed jam ad rem ipsam: Et 1. *Anne aliquando irasci licitum sit? dispiciamus.* Stoicorumq; affecte ut ceteros omnes affectus, ita potissimum iram ducunt: Argumenta præcipua compendiose hæc sunt. 1. *Quicquid plurimum malorum, morborum, cadum & injuriarum causa est, prudentie inimicum, insanie species & pestis humani generi nocentissima; id omnino fugiendum totoq; nisu & simpliciter cavendum atq; damnandum. Sed ira est talis; E.* Cum major prop. manifestissima sit; Nullus quippe effectus suâ causa toto genere deterior esse potest. Minor si vè assumpt: stabilitur partim experientiâ & exemplis, partim testimonijs & auctoritate sumorum virorum. Vid. Valer. Max. lib. 9. c. 3. Senec. lib. 1. de irac. 1. & 2. nec indigni sunt etiam lib. 2. adus & 3. tuis qui, in idem argumētum elegantissimè conscripti, legantur. Hic verò in re clarâ multis opus non est.

10. Ducitur præterea 2. Ex Sacris haud leve argumentum. 1. Gen. 4. v. 6. *Quare irasceris? vel, ad quid est ira tibi?* Matth. 5. v. 22. *Quisquis irascitur fratri suo obnoxius erit iudicio.* & v. 25. *Habeto benevolentiam cum adversario; Et v. 39. ne resistatis malo, cum seqq. Eph. 4. v. 1. 2. & 3. & v. 26. Sol ne occidat super iram vestram & v. 31. Omnis ira &c. tollatur. Coloss. 3. v. 13. Jac. 1. v. 20. ira viri iustitiam Dei non efficit. Et similibus locis iram planè prohibentibus. Quibus addi potest *Basiliius* in coacione contra irascentes. *Quod script. Sacra prohibet & B. Patres averfantur id licitum non est; Sed iram Sacra S. prohibet &c. E.**

11. Verùm adhibitâ distinctione inter iram & ira-

iracundiam propriè dictam (sepè etenim *ira* etiam in hac acceptione sumitur) Quod *ira* pressè & accuratè dicta ipsum affectum & naturalè motiõem significat quo malum amoliri & vindicare conamur & hoc natura omnia fermè animalia armavit; quæ in se minime vitiosa vel illicita. *Iracundia* autem vitiosum habitum significans, quo ad irascendum & illegitimè vindicandum proclives sumus, in vitio est & illicita. De hac Potissimum & quæ ex sacris & quæ ex prophanis literis in contrarium adducta sunt, non de illâ intelligenda esse tu n contextus, tum ipsa ratio, tum loca parallela facilè ostendant.

12. In specie respond: ad 1. Object. & quidè primò ad maiorem prop: eam limitando, præsupposita sc. *Distinctione inter causam per se & per accidens*: hoc modo. Quicquid *per se* tot malorum causa est &c. Deindè neg: assumpt: *ira quatenus affectus Phisicus* ejusmodi incommodorum, morderum, injustitiæ, turbati judicij &c. *Per se causa non est*: Sed ex accidenti quatenus modus exceditur, & in iracundiam degenerat. Quin & *Seneca* ipse qui alias cit: h. iræ incommoda multis exaggerat lib. 1.

C. 4. *Iram ab iracundiâ distare fatetur, quantum timor à timiditate, &c.* Aliàs satis nota sunt hic *Stoicorum paradoxa*, qui id persuadere conati sunt, quod nec ipsi præstare potuerunt, nec possibile esse crediderunt; Sed, ut ipsorum etiam interpretes attestantur; Ad impossibilia & ultra medium vocantes ad possibilia persuadere & medium occupare docuerunt.

13. Ad textus sacros in 2d. Arg. respondetur etiam priora applicando & deindè ex alijs contextibus undè optima interpretatio hauritur. Ephes. 4. v. 26. *irascere* ubi *ira* si non iungitur, certè permittitur & in-

delgetur conf. Psal. 4. v. 5. ubi teste *Chemnitio* significantius commotio designatur. Temere autem *sine* irasci, id est, ob leuem & privatam causam, ex impatiencia vel malitia, sine respectu ad gloriam Dei, amoré justitiæ, odium turpitudinis irasci &c. Salvator ipse citato Matth. 5. prohibet. Videatur *Chemnitius* loco de lege Dejad 5. præceptum p. m. 184. & seqq. Aliquando igitur irasci licitum esse omninò concluditur. Omni quippe irâ penitus sublata, *Mansuetudo* etiam quæ circa iræ moderationem versatur tolleretur & extingveretur.

24. *Ergone indistinctè & quancuncq; irasci licet?* Neg. Contrarium tamen ex allatis concludendum videtur: *Siquidem enim ira est effectus naturalis; Merè autem naturalis nusquam sunt prohibita. E. nec ira est prohibita.* Sed Respo. ex fundamento supra Disp. 3. th. 25. Posito; Affectus *physicè* & naturaliter consideratos indifferentes esse i. e. *neq; bonos neq; malos moraliter.* Quatenus verò rectæ rationis ductum & legis moralis moderamen sequuntur aut respuant, bonos aut malos, licitos aut illicitos fieri. Ita quoq; ira si eidem congruat sine vitio est: Sin secus prohibita.

25. *Non itaq; licet irasci.* 1. *Superioribus* utpote magistratui, parentibus, Doctoribus & præceptoribus, tum enim in 4tum præceptum impingitur. Sicut è contra superiores, quatenus scilicet tales, & inferiores eis ad obedientiam obstricendi reluctanter, licite & recte irascuntur. 2. *Ob leves causas*, multò minus incertas. Sin a--perta fiat injuria, vitæ, famæ, uxori, liberis, parentibus, cognatis &c. iniqua vis inferatur, bona hostilitér attrahentur, irâ commoveri planè illicitum non erit. 3. ut modus tamen non excedatur, & charitas proximi non postponatur aut omninò negligatur. Neq; igitur

nimis vehementer excandescat, ut ira in furorem vertatur. Necdum causa semel legitime transacta resuscitetur ac refricetur. *Namq; ira in suis stultis quiescit. Eccles. 7.*

16. *Anne igitur vindicta licita? Quæstio hæc etiam hoc loco decidi solêt; quamvis pro diverso consideranda modo ad aliud atq; aliud forum spectet. Nam à Theologis expeditur dum docent, an & quatenus bonâ conscientia quis se suosq; contra violentum aggressorem tueri ac defendere possit? A Iuris quatenus quaritur de pœnâ aggressorem occidenti irroganda? Hic verò in Ethicis quatenus dilquiritur, an hominem etiam ad sui suorumq; defensionem occidere unquam honestum esse possit, & fræna iræ eò usq; citra Mansuetudinis jacturam & violationem, aliquando laxari queant?*

17. *Ad resolutionem hujus dubij observanda est distinctio inter vindictam publicam & privatam; Illa dicitur quæ à Magistratu publicè exercetur, sive in subditos contra leges peccantes; sive in extraneos temp. ejusve membra offendentes; Hæc quæ à privatis ubi magistratus auxilium præsto non est vel esse potest, adhibetur. Quamquam non diffidendum privatam isthanc vindictam non nisi improprie sic appellari, cum defensio potius & inculpata tutela, seu moderamen inculpatae tutelæ, ut loquuntur Icti, rectius nominetur; sed cum usus ita obtinuit, non opus est de verbis litigare, modò de re constet.*

18. *Hanc autem cum jura & naturaliaq; civilia admittant, honeste quodq; sine mansvetudinis læsione adhiberi posse statuimus. Quicquid enim nature & recte rationi congruit, id honestum est, & à virtutis præscripto non aberrat. Atqui se & suos ex imminente periculo eruere & adversus vim defendere natura & recte rationi congruit. E. Major prop. clara est ex definitione virtutis & honestatis. Minor etiam*

etiam multis confirmati posset. Natura enim ut sui
destructionem atque interitum averfatur; ita sui con-
fervationem ac tuitionem quantum fieri potest, procu-
rat atque molitur. Juxta illud Cic. 1. Officiorum: principio omni-
um animalium generi est a natura tributum ut se vitam corpusque tueatur decli-
netque; ea quæ nocitura videntur. Hinc etiam facit illud Plinii, Leonum feritas
inter se non dimicat, serpentum morsus non petunt serpentes; Sed si vis
inferatur, nulla est cui non, sit ira non sit animus iniuriæ impatiens & prom-
ptus, si necesse, ad se defendendum alacritas. Proinde & Iosephus lib.

4. de bello judaico c. 13. Scribit. Naturæ lex firma est ut
omnes velint vivere, quâ de causâ hostes eos judicamus
qui nobis illud auferre præ se ferunt, & nos ab ijs vindi-
care molimur. Experientia deinde tam irrationalium
quàm rationalium hoc ipsum satis confirmat. Acce-
dente denique jure civili Romano & Svecano: l. 3. ff. de J.
& J. & l. 7. C. quando liceat unicuique sine iudice vindicare.
Adde c. 1. Drap medij willia 22. & St. item c. 12. & 13.
22. eod. Privatam itaque defensionem, maxime si extre-
ma necessitas urget, honeste suscipi posse persuasum
habemus.

19. Non desunt tamen quæ obijci possunt: 1. Illud Iehova
Deuteron: 32. v. 25. Mihi ultio est retributio. 2. Ecclesiastici 28. v.
1. Qui vindicare vult à Domino inveniet vindictam. Cui consonat
illud Pauli ad Rom. 12. v. 17. Nulli malum pro malo. & v. 19.
Non vosmetipsos defendentes est vindicantes &c. Adde Hebr.
10. v. 30. 3. Matth. 5. v. 39. Christus inquit, Ne resistatis ma-
lo. Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præ-
be illi et alteram. Conf. Luc. 6. 4. Exemplum Davidis qui
Saulis manum, mortem intentantis non resistendo aut defenden-
do, sed declinando evasit. 1. Sam. 19. v. 10. 5. Et ipsius Salvatoris
Christi, cujus omnis actio est nostra institutio, juxta regulam The-
logicam: 1. Pet. 2. v. 20. 21. & seqq. Sed Christus ejus-
modi defensione uti noluit, cum tamen facile potuisset. Matth.
26. v. 53.

ad. v. 13. Et deniq; b. Sanctorum Martyrum exemplis, quoniam
feriendo sed ferendo coronam reportarunt. 2. Pet. 3. v. 14.

20. Sed ad priora duo uniformis est responsio; in istis
videlicet scripturæ dictis sermonē esse de vindictā pri-
vatā, quæ ordinariē prohibita; Non de publicā quæ a
Magistratu legitimē exercetur, siquidem gladium fru-
stra non gestat. Rom. 13. v. 4. Additur ordinariē ut in-
nuatur summā urgente necessitate etiā extraordinario
medio uti licitum esse. Necessitatis enim tanta vis est,
ut ex illicitis facere possit licitum, quod exemplo Da-
vidis. 1. Sam. 21. interprete Chemnit: probatur; Juxta
proverbiū; Necessitas non habet legem. Imō Magistra-
tus ipse hoc in passu gladium ad seiplos tuendum porre-
xit; Uti patet ex supra citato textu Codicis, quando sic: unic;
Ubi imppp. Valens: Theod. & Arcad: hunc in modum rescribunt; Liberam
resistendi cunctis tribuimus facultatem &c. Ac mortem quam minabatur
excipiat (sc. violentus aggressor) & id quod intendebat incurrae. Ratio
subiungitur: Melius enim est occurrere in tempore, quā post exitum vin-
dicare. Vestram igitur vobis permitimus ultionem &c. Quod idē
etiā citati textus juris nostri innuunt. Cum igitur
sui defensionem natura dicat, legesq; permittant; ne
serō post vulneratam causam remedium quaeratur:
Defensionem hanc ubi eam necessitas injungit, & legi-
timum moderamen servatur, quatenus à magistratu
(cui obediendum) & legibus concessa invenitur, verbo
Dei contrariari non videtur.

21. Regeri tamen adhuc potest; Multāmi nihilominus
aliquam de jure nostro, præsertim municipalī (prout ex cit; cap.
9. de homicid: patet.) etiā casuali homicidio irrogari; Unde
concluditur actionem per omnia honestam non esse. Ubiq;
enim multa exigitur ibi delictum præsupponitur; As ubi de-
lictum adest, ibi honestas abest. Resp. jus nostrum hoc in
passu à jure Romano dissidere ubi imp. Gordianus A. Quin-

hunc in modum respondet: Is qui aggressorem ve-
quemcunq; alium in dubio vita discrimine constitutus occiderit,
nullam ob id factum calumniam metuere debet. Cod. ad leg.
cornil. l. 2. conf. l. 3. eod. § l. 4. Dubium non est eum qui
inferenda cadis voluntate praeceperit, jure casum vi-
deri. Additur § in l. 5. haec ratio: Melius namq;
est his occurrere § mederi, quam injuriã receptã vin-
dictam perquirere. Et quamvis hoc cum naturali
ratione congruere videatur. Jus tamen nostrum o-
mni ratione plane non destituitur. Nam cum jure divi-
no hac in parte convenit, quod humani sanguinis effu-
sum rationem haberi voluit, & potius ab insonti-
bus etiam, ubi res est obscura, multa exigi ut delictum
expietur, quam ut sanguis humanus inultus maneat. conf.
c. 21. Deuteron: & c. 25. Drap. medh will. &c. Hinc ob-
jectio facile diluitur: Ubicunq; invenitur multa te-
pna ibi etiam delictum, & sic inhonestas; Nimirum
id lequi in manifestis delictis § ordinariè: Extraordinariè ta-
men & in certis casibus aliud statutum allegata loca de-
monstrant. Adde c. 1. Drap. medh will. &c. Ad dictum
Pauli Rom. 12. Respondet hic malum pro malo non re-
ferri; Sed malum imminens averti vel praeverti, quod
Paulus non prohibet. Defendere verò & vindicare se-
ipsum extra extremae necessitatis casum prohibet, quae
semper excipienda.

22. Ad 31. Argit. in Thesi 19. positum, loca videlicet
Matth. 5. & Luc. 6. Resp. Christum loqui utrobiq; de
Christianã charitate, mutuã dilectione & *Præter Invidia*,
quae leges naturæ & civiles nõ evertit, ordinata n. chari-
tas incipit à seipso. Neq; legitima juris media hic ullate-
nus evertere salvator constituit. Alapam privato

ausu vindicare prohibuit; mortem verò minitantem repellere non vetuit. Maxime cum leges id permit- tant. Non enim venit solvere legem sed implere. Matth. 5. v. 17. conf. notas C siandr.

23. In 4to Arg. Exemplum Davidis minus quadrat: Saul enim Rex & Davidis legitimus magistratus, imò & pater sive Socer erat, Unde ipsi tam facilè resistere non debuit. Sup. Th. 15. *At regeris.* David etiam unctus Rex erat. *Respondet pro nobis Seneca Regi tuenda maxime regum est salus.* Et huc quadrat illud *Plauti; indigna, digna habenda sunt, Rex qua facit.* Adde dum aversione corporis icium declinare potuit, & incolumis evadere, neq; privatum irruentem occidere debuisset.

24. Salvatoris Christi exemplum 5. adhuc minus huc pertinet: *Ipsius actio est nostra institutio.* scil. quam nos imitari voluit, & quadantenus si non implere attamen conari possumus. Hanc verò actionem quod instar agnicoram tonitrore tacuerit. Esai. 53. & Actor. 8. *ignominiosam & violentam mortem pro totius generis humani peccatis insons & immerens sustinuerit, à nobis impleri nec voluit, nec fieri potest: Neq; de eà Apostolus P. loquitur, sed de paciètià in aduersis extra talem casum qualem propotuitus.* Et Christus jubet discere à se Matth. 11. v. 29. quod sit mitis & humilis corde. Non verò violentū aggressorē si repelli possit admittere. *Quin imò ipse et primitus in horro agredientem judæorum cohortem prosternens, Joh. 18. v. 6. quid facere posset & jus haberet ostendit; nisi pro totius mundi peccatis spontaneam mortem subire paratus fuisset.*

27. *Sanctorum Martyrum exempla.* 1. *Idem alicon*
 sunt; Illi enim 7. ut plurimum a magistratibus & po-
 tentioribus atq; vi majori obruti fuerunt, quibus resiste-
 re aut non debuerant; aut non potuerunt: Hic sermo
 est de equalibus & in tali casu ubi aliquis se suosq; de-
 fendere potest. 2. *Imparitas est in eo, Martyres*
 propter gloriam Dei, & confessionem nominis Christi,
 libenter injurias mortemq; ipsam passi sunt: Hic sermo
 est de tali casu ubi aliquis privato ausu proximo mor-
 tem intemat, & honor ac gloria Dei ejusmodi morte
 aut passione nihil quicquam extenditur vel propagatur.
 Tum enim aggressorem honestè & citra manifestudinis
 violationem repelli posse statuimus. Quin & Moses
 teste sp. S. omnium mortalium mansuetillimus Num.
 12. v. 3. popularem suum ab Aegyptij injurijs defensus,
 aggressorem occidit. Exod. 2. v. 21. quem locum eti-
 am de legitima defensione contra manifestam & atro-
 cem injuriam D. Chytr. interpretatur. Et haec ita bre-
 viter ad Argumenta in contrarium adducta.

28. Quid verò de verbalibus injurijs tenendum sit
 ex Fasciculo quaestionum Ethic. Sect. 2. Memb. 4. quaest.
 2. patet; Distingvendum sc. 1. *Inter graves, majores &*
atroces injurias, quib' fama quæ cum vita pari passu ambulare
communiter dicitur; Et leves, seu minores & non ita atro-
ces, quæ scil. ex calore seu fervore iracundiae, non ex in-
tentione exciderunt, nec perseveranter urgentur ac de-
fenduntur. Et hæc facilius condonandæ & magno a-
nimo contemnendæ; illæ verò ubi existimatio periculi-
tari videtur, Crudelus enim est qui famam negligit, per vi-
am juris refellendæ, & (Sine acerbitate tamen & ut
Christiana charitas omnia moderetur) per legitimos
artemites vindicandæ.

27. Sunt præterea injuriæ aliæ *Publicæ & officiales*, quas officij ratione refellere tenemur, & nisi malè administrati muneris notam subire velimus, refutare comabimur: Aliæ *privatæ & personales*, quas præsertim si leviores, contènere est refutare, & abundè vindicaveris. Ita Christus ipse Joh. 8. PERSONALEM injuriam, quod Samaritanum appellavit Judæi, silentio præterivit: OFFICIALEM autem quod Dæmonium habere dixerint, abundè confutaverat.

28. Quemadmodum autem circa iram laudabilis mediocritas datur, ita etiam utriq; extrema vitiosa per cavenda & devitanda veniunt, prout ex antea dictis non obscure constare potest: Nimirum ab unâ parte & in excessu iræ ac commotionis, ubi vel leviculas ob causas præter modum quis excandescit; vel nimis amaruleter iram diutiùs quàm par est fovet; vel utrumq; facit & citò iram concipit, & implacabilem se deindè præbet offensas agrè condonando. Ab alterâ parte etiam in defectu peccari potest, ubi quis nullas injurias etiam si atroces sentit, vel ipsedem movetur; Utrinq; divini etiâ numinis gloriam & publicam utilitatem violant. Hoc vitium nimia scilicet lenitas, in publicis personis est nocentissimum: imò crudelitate quodammodo perniciosior; (Sic etiam hæc vitia in Magistratu vocantur, sicuti Mansuetudo specialiter in illis clementia audit) Talis lenitatis exempl. in Sacerdote Eli habemus. 1. SAMUEL. C. 2. & 3.

29. Utrum igitur horum vitiorum nocentiùs atq; deterius habendum sit facile decidiunt: Nimirum in Magistratu & publicis personis, non minus, sed se potè magis incommodare lenitudinem, cum illa, si erga malos exerceatur, verò sit crudelitas quædam adversus bonos; In privatâ autem, & æqualium familiari conversatione

iracundia, utpote unionem & amicitiam facile diffrumpens, nocentior est, ideoq; eò studiosius cavenda. Neq; lenitudine & *ἀσπύγεια* aut tam læpè aut tam facile aut tam gravitèr quis labi potest. Sæpè enim quæritur & dubitatur ane qui privatam exercuit vindictam sit absolvendus, vel quæ pœnâ plectendus: An verò qui eam neglexerit pœnâ afficiendus sit, non dum ad cò controuersum erat.

30. *Obstare tamen hisce sententiæ videtur, quod ira sit motus appetitus quo malum præsens violèter avertitur vel retributione pensatur. Tam autem malum propellere & avertere utilius est & commodius quàm idem perferre & sustinere; Ergò lenitudo quàm illa turpiter tollerantur & sustinetur, Iracundiâ deterior est atq; nocentior, siquidem hæc mala & nocentia avertuntur ac propelluntur.* Sed respond: potest ex antea dictis; Si lenitudo æquè esset frequens vitium, & homines in illud æquè propenderent, & æquè facile ferendo ac inferendo injuriam peccarent, tum fatendum est hoc argumentum aliquid obtriuere posse. Sed cum vitia isthæc hoc loco non tam in *abstractio* quàm in concreto, quatenus sc: hominibus vel in conversatione, vel respectu valetudinis, vel in alia incommoda præcipitando incommodat; dicimus iracundiâ esse nocentioram.

31. *Quanquam enim Mansuetudo non sit virtus in re hominibus prout nonnulli eam faciunt, siquidem etiâ extra conversationem quis vel, cum injuriarum recordatur alijs vel sibi ipsi interdum irasci potest. Fatendum tamen est hujus virtutis, si ullius, in quotidiano convictu usum quotidianum & pernecessarium esse. Remedia contra iracundiam valètia videfis in Ergast: virtut: apud Heider: in Philos. morali & alios. Et hæc de Mansuetudine.*

COROLLARIA HISTOR:

I.

Historia qua est vera rerum gestarum narratio, ad ferendum de similibus iudiciū & actiones in-
mandas, in omni studio est utilissima: quibusdam et-
iam plane necessaria.

2. Non incommode dividitur historia in univer-
sale, cuius ratione loci tum respectu temporis, & par-
ticulare, certam temporis periodum, populum aut
regnum respiciens.

3. In studio historico ab universali historiā inci-
piendum.

4. Historia alia Sacra seu Ecclesiastica religionis
negotia & progressus concernens, alia Civilis seu Po-
litica est, quae secularia & civilia negotia atq; regimi-
nis mutationes commemorat.

5. Mundi antediluvianī duratio 1656. Anno-
rum ex cap. 5. Genes: per additionem annorum etatis
singulorum Patriarcharum aequam genuerint, &c.
manifestè colligitur.

6. Longævitatē Patriarcharum ante diluvi-
anorum duplex causa; altera physica, altera The-
ologica: Prior quod terrā nondum inundatione cor-
ruptā, herba, radices omniaq; alimenta longè salubri-
ora extiterint: posterior, ut veram de Deo ejusq; bo-
nita-

Veritate doctrinam & horrendo hominis lapsu nec non
reparatione per semen mulieris caput serpentis contri-
turū, eò commodius propagarent; antiqui serpentis
& impiorum dolos atq; calumnias refellerent; deq; di-
vinā providentiā & piorum præmijs, læculentē te-
starentur.

7. Vera & sincera religio, per manus quasi tra-
dicta à Noacho ad Abrahamum commodè pro-
pagari potuit. Vixit enim Noach 350. annis post
diluvium; Genes: 9. v. 28. Abraham autē anno 292.
à diluvio natus est; Genes: 12. nimirum anno mundi,
2949. atq; ita cum Noacho annis 57. vixerat.

8. Quatuor fuisse Monarchias sive summa imperia
in mundo post diluvium, ex cap. 2. & 7. Danielis
non immeritò concluditur.

9. De primæ Monarchiæ duratione vehementer inter
sefe authores variant, alijs, ut Diad: Siculo, ejusq; æsecla
2360. annis eidem assignantibus, alijs tam Velleio 1070. alijs
cum Herodoto tantam 5000. Unde & Varronis dictum con-
firmatur, tria temporum intervalla constituentis, primum in-
certum; Secundum fabulosum; Tertium HISTORICUM.

10. Ninum Nimrodī nepotem fuisse, ex Epitaphio e-
jusdem Xenophon adstruit; quod tam audacter rejici-
endum non videtur. Et quamvis Assur Niniven fun-
daverit Gen: 10. v. 11. potuit tamen Nimus eam ampliando &
restaurando ex seipso nomen imponere, velut CONSTANTINUS
Imperator Byzantio &c.

COLLEGI ETHICI
DISPUTATIO SEXTA

De

FORTITUDINE

Respondente OLAO JEREMIE Norcopiâ Ostro-Gotho.

THESIS I.

Quoniam, ut in principio superioris disp. monitum, *quintum præceptum* non tantum vitâ proximi quoquo modo laedere prohibet, verum etiam eandem nostramq; propriam defendere mandat, assentientibus etiam Theologis *Dn. Chemnitio, Dieterico &c.* Quod absq; fortitudine expediri nequit, de eâ igitur etiam sub hoc eodem præcepto agendum.

2. Fortitudinem dari manifestum est. De ejus *homonymia* in falsic. controv. egimus: *Derivatio* seu *Ety-mologia*, si qua quærenda, non incommodè à *ferendo*, dicitur: plus namq; in *ferendo*, quod *sapius requiritur*, quàm *feriendo*, quod *rarius*, consistit. Etiam in statu integritatis locum habuisse, Sup. disp. 5, th. 8, probatum fuit.

3. Est autem *Fortitudo* (*ἀνδρεία* Græcis, sicuti nostratib. *Manhaftigheit* quod in viris maximè requiritur) *Virtus Ethica in audendo, aut metuendo & tolerando decentiam atq; modum servare docens.* Quæ secundum varia objecta variè dispescitur. Siquidem non tantum & hujus, veluti etiam aliarum virtutum, *obiectum* aliud *internum*, videlicet *metus mali atq; fiducia boni*; aliud *externum*, illæ ipsæ res scilicet *quæ fiduciam gignunt aut timo-*

venio inculcavit, qualia pax, honor, divitiæ, mors, paupertas, oppressio &c. Mala isthæc quæ metum inferre solent variorum generum esse deprehenduntur.

4. Et imprimis *bipartitò* malum dispescitur, quod aliud sit *inhonestum*, aliud *triste*. Malum inhonestum, *Theologis malum culpa* dicitur, est quodvis vitium, peccatum & turpitude nostro facto admittitur, quod quidem per se huc non spectat, nec fortitudinis objectum esse potest, Qui enim mala inhonesta, seu turpia animosè aggreditur, ipse turpis & vitiosus est non virtuosus. Mala verò *tristia* (*Theol. pœnæ*) sunt quævis adversa, molesta & graves casus; Ut morbus, paupertas, mors, contemptus, persecutio &c. quæ huc spectant.

5. Sunt tamen & hæc non uniusmodi, alia enim *mala tristia* sunt *voreq̄ ἀνθρώπων*, ut loquitur philosophus, id est *Supra humanam conditionem*; Quæ scilicet ab homine sustineri nequeunt, & in quibus adeundis nulla honestas cernitur; Utpote, si quis fulminibus se sponte obiciat, inundationes, incendia & similia pericula effugere atq; evitare cum possit, non curat &c. Alia verò *κατὰ ἀνθρώπων* quæ ab homine laudabiliter sufferri possunt ac debent, quod in illis fortiter ferendis honestas eluceat; Qualia sunt mortis pericula pro salute patriæ, suorumve defensione &c. *Hæc igitur sunt fortitudinis objecta, illa non aquè.*

6. Inter isthæc *mala tristia* quæ humanas vires, rectè adhibitas, non superant quædam *leviora* sunt quædam *graviora*; Illa sunt quæ terrent quidem & infestant, faciliùs tamen tolerantur, ut iactura divitiarum, leviores iniuriæ, testes amicorum casus &c. *Hæc*, magis terrent & difficiliùs perferuntur; Ut mors, membrorum dilaceratio; ita palpebræ M. Attilio Regulo reseræ &c. Alia deinde pericula in *publicis muneribus atq; officijs* constitutis impendent. Idq; vel in Mi-

litiâ seu bello, unde *Fortitudo bellica & militaris seu castrensis*, quâ quis contra hostes publicos fortiter pugnat, *alia togata & civica seu urbana* Cicer. offic; quâ in publicis negocijs togatis magna pericula & discrimina honestatis causa fortiter adveniunt atq; decenter sustinentur. *Alia* deniq; *privata* vel in *œconomiâ* dum adversa & difficultates ibi occurrentes fortiter superantur; Vel deniq; *injuriarum, divitiarum, & cætera mundana*, quorum præsentia vel absentia Vulgus affligere solet, fortiter feruntur aut spernuntur. *Quæ fortitudo philosophica dicitur.*
Et hinc tot fortitudinis species.

7. Inter omnes verò eminet *bellica seu martialis fortitudo* quæ omnibus non contingit. Cæteræ autem & *privatæ* potissimum species facilius etiam apud infimos inveniri possunt. Illa verò sublimis fortitudo, ad heroicam virtutem proximè accedens, eorum est qui in luce reip. versantur; & ipsius Magistratus; *Cui dulce & gloriosum est pro patriâ oppetere.*

8. Trita insuper est distinctio inter *Fortitudinem apparentem seu non veram & veram*; *Apparentis fortit. sçq; species* Arist. lib. 3. Ethic. Nicom: c. 8. recenset: 1. *Politica* quæ in defensione patriæ urgentibus legibus, premio aut panis, exercetur; 2. *Experientialis* seu *experimentalis*: experientia enim animosos reddit eos qui antea periculis interfuerunt. Et Cic. lib. 2. *Tusc. quæst; in exercitatum militem mulieri comparat.* 3. *Fortitudo iracundia*, quæ sæpè facit ut inermes armatos adoriantur; *est enim ira cos fortitudinis*, juxta vulgatum. 4. *Fortitudo propter spem* dicitur, cum spe victoriæ pericula confidenter adveniuntur; Et 5. demùm *Fortitudo ex ignorantia*, eorum qui periculorum ignari animosè adversus hostem progrediuntur; *Imperitia enim interdum audaciam adfert.* Vera

tem fortitudo est quæ quæ publicæ utilitatis & potissimum honestatis gratia
pericula adit & adversa sustinet: Quæ supra descripta sunt.

9. Extrema Fortitudinis satis etiam manifesta; ni-
mirum in excessu audendo, audacia & metus vacuitas,
sicut excessus metuendi meticulositas, qui audendi de-
fectus est. *Audacia* quæ vis pericula adire suadet, etiam in
quibus nulla vel honestas, vel publica, modo interdum nec
privata, utilitas cernitur; *Metus* autem quæ vis pericula
& adversa turpiter fugit, neq; *utilitatis publicæ* neq; *honestatis*
& *existimationis* rationem habens. Et hæc ad fortitu-
dinis declarationem; Nunc quæstiones circa eandem breviter decidemus.

10. Quæstio 1. seise offert, *An fortitudo sit virtus?* Aff.
Sed opp. *Virtus moralis omni homini competit; Fortitudo non*
omni homini cõpetit E. *Fortitudo non est virtus moralis*, Maj. prob.
Virtus quippe neminẽ excludit, nec censũ nec sexum recipit
aut excipit: Min: prob. *Fortitudo namq; a calido & sicco tem-*
peramento, compacto, solido ac spirituosio corde dependet, quæ in
õnibus hominibus non inveniri certũ est, Ergo nec fortitudinem.

11. Verũ Resp. ex fascic: controv. Eth. Sect. 2.
memb. 4. q. 7. limitando propos. Maj. præmissã sc. di-
stinctione inter *actũ* & *potentiam*; hoc modo virtus mo-
ralis omni homini competit quoad potentiam non actũ
id est, Omnis homo posset fieri virtuosus, si legitime & debito modo in e-
am rem incumberet; inclinatio enim naturalis omni homini inest ad virtu-
tem capescendam; Quod autem *actũ* omnes virtuosii non
sint, experientia plu- satis, proh dolor, evincit. Neq;
minoris probatio officit. Quamvis enim negandum
non sit eos qui tali temperamento & constitutione cor-
poris præditi sunt ad fortitudinem aptiores esse; Fri-
gidioris tamen etiam temperaturæ homines ad
omnẽ fortitudinem planẽ ineptos esse non sequitur. Et si
enim arma induere & hostem ferire omnes nequeant,
pos-

possunt tamen alia adversa & calamitates fortiter atq;
æq; animo perferre, & sic tuo modo fortitudinē exercere.

12. Neq; instantia quæ adferri solet contra limitationem Mai. prop: multum valet; *vanam* sc: atq; *frustraneam esse potentiam qua nunquam reducitur in actum; Sed illa potentia in omnibus hominibus nunquam reducitur in actū* E.

Resp. Et si vana sit (quodammodo non tamen per omnia) quoad individua & hunc vel illum hominem, vanam tamen propterea quoad totam speciem esse non sequitur. Neq; omnino vanum est quod aliquem habet finem & utilem. Sed potentia illa etiam in singulis hominibus suum habet finem, gloriam Dei & perfectionem hominis; imò inexcusabiles reddit eandem excolere negligentes. Ergo non in se vana non est.

13. Excipiat adhuc potest; *Sed virtus tamen in sexum femininum cadere non videtur, cum ex supra allatâ probatione, 1b. 10. Tum quod à viro tanquam eidem propria denominatur, & πὸ τοῦ ἀνδρός ἐστὶν ἡ ἀρετὴ sicuti nobis à Μανῶ Μανhaftig hæt.* At resp: Denominationem hic à potiori fieri, quod in viros fortitudinis exercitiū magis quadret, ibiq; frequentius inveniatur; Mulieres tamen propterea planè & in totū nō excluduntur; Quod etiā exēpla Deborah, Judith, Semiramidis, Amazonum, Clælia romanæ &c: satis confirmant. Potissimum si de bellicâ fortitudine sermo sit: Sin de aliis speciebus loquamur, fœminis etiam fortitudinem recte tribui, minus dubitationis habebit.

14. Quæritur 2. *An fortitudo magis consistat in audendo & pericula aggrediendo quàm timendo & sibi cavendo? Et eo ipso etiam utrum magis in metuendo an confidendo sita sit? Ad eod; utrum extremorum seu horum vitiorum, timiditatis vel audaciæ fortitudini vicinior sit.* Quæ quæstiones re ipsa fœcè coincidunt. Pro timiditate hoc esse potest: *Qui timet sibi cavet, qui sibi caret est prudens, qui prudens est virtute pollet.* Ergo qui timet virtute pollet.

25. Respondetur autem ad hoc argumentum vel si simile quid afferatur; primam propositionem sortis illius, vel hanc enunciationem, *qui timet sibi cavet*, simpliciter veram non esse, atq; sic laborare fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter: Alius enim est *timor moderatus* cum prudentiâ & circumspectione conjunctus qui laudabilis & virtuosus. Alius *immoderatus & vitiosus*, qui nec cum prudentiâ est, nec laudabiles actiones admittit.

16. Quæstio de objecto. 3. *Anne Fortitudo circa omnia formidabilia, seu qua metum incutiunt occupetur?* Ex superioribus thes: 3. 4. 5. 6. hujus disp. sine ullo negotio deciditur.

17. Quæri etiam solet & non sine causâ potest: 4. *An mors bellica sit proprium fortitudinis objectum?* Affirmativa svaderi videtur, non tantum *authoritate Aristotelis, c. 6. lib. 3. Ethic. Nicom.* Verum etiam ratione atq; argumentis hoc modo: *Omnis virtus versatur circa maximè ardua, difficilima, pulcherrima & laudatissima*: Sed Fortitudo est virtus: Ergo. Maj. est clara. Iunt enim ista inter communes omnium virtutum affectiones, Min: supra confirmatur: Jam autem *inter omnia terribilia mors*, humanitus loquendo, *terribilissimum est*, quâ in momento omnibus hujus vitæ bonis privamur, adeoq; *maximè arduum & difficile* objectum, cum cuncta viventia, mori renuant, vitam continuare desiderent: *pulcherrimum etiam atq; laudatissimum* pro patriâ, pro aris & focis, pro rege & grege in acie fortiter occumbere. *Mars igitur bellica proprium est virtutis objectum.*

18. Quamvis autem hæc ita haud absurdè dicantur: Respondemus tamen ex suprapositis, ubi plura terribilia

et-

etiam virtutis obiectum statuimus th. 6. non obfatare: Di-
stingvendum namq. inter *objectum proprium & adequatum*
primariu & secundarium: proprium quidem est Fortitu-
dinis obiectum mors bellica, alia siquidem virtutes eo
modo circa illa non occupantur: Non est tamen adae-
quatum, namq. & circa alia qua metum iniiciunt vel spe
concitant, versetur. Deinde *primarium* quidem est &
principale obiectum, quod *secundaria & minus principa-*
lia minime excludit. Revocatur autem diversitas illa
obectorum ad unitatem seu unionem, quatenus sub
communi formali comprehenduntur: quoad nimirum ter-
rorem aut fiduciam involvunt.

19. In dubium quoq. vocari assolet *3. An etiam*
circa alia mortis genera seu species fortitudo versetur? Utpote
sive quis in mari tempestatibus obruatur, vel aliis suffo-
cetur, incendio vel morbo succumbat & intereat. Ac
potissimum: *An etiam malefici mortem aliaq. supplicia intrepide*
adeuntes ac sustinentes, fortes appellari mereantur pro
Affirm: ejusmodi ratio militat: *Quicumq. circa maxime*
terribilia fortiter ac intrepidè versatur & mediocritatem servat,
is fortis est: Atqui malefici & alij mortem contemnentis & a quo
animo sustinentes fortiter sese gerunt & mediocritatem servant:
E. Maior est definitio fortitudinis: Minor etiã clara
est: *Mediocritas enim in eo consistit ne nimiam metu-*
amus & doleamus ob id quod evitari non potest.

20. Respondetur autem breviter ex antea allatis,
Fortitudinem occupari suo modo etiam circa alia mor-
tis genera, sive quis naturaliter senio sive morbo extin-
gvatur: sive igni, aqua, lapsu fortuito pereat; sive vio-
lenter a tyranno aut homicida trucidetur; *Minus tamen*
principaliter, quia hic minor laus & honestas: (nisi pro

Dei

Dei honore patiatur uti mox dicemus) principaliter tamen & primario in bellicâ morte fortitudo elucet. Ad argumentum autem allatum respond. 1. Repetendo distinctionem inter *veram & apparentem fortitudinem*; hanc etiam latroni vel malefico intrepidè cruciatus subeunti tribui posse; illam minimè. 2. Limit. prop. mai, si quidem de vera fortitudine loquatur, ita ut fortiter & intrepidè circa terribilia versans *Laudabiliter etiam solius vel præcipue honestatis gratia*; Quâ adhibitâ minor propositio corruit. Tales enim non honestatis sed turpitudinis gratiâ patiuntur. Conf. 1. Pet. 2. v. 20.

21. Quidam igitur de sanctis Martyribus statuendum, qui pro confessione veri numinis & salvificæ religionis, acerbissimos cruciatus & mortem ipsam magno animo sustinuerunt. 6. *Anne & ipsi fortes dicendi?* Affir. Ubi cunq; enim invenitur verum fortitudinis objectum, internum & externum, & circa idem laudabilis mediocritas; ibi vera adest fortitudo; Atqui utrumq; hic inveniri in Martyribus manifestum est. E.

22. Obijci tamen potest: *Nulla virtus coactè exercetur: Atqui hæc patientia coactè exercetur: E. non est virtus.* Major est clara, prout ex ijs quæ supra de actionibus hominum virtuosis in genere dicta sunt patet. Minor etiam, si quidem à tyrannis & nominis Christiani persecutoribus comprehensi, vincti & adacti passi sunt. Resp. tamen Negando assumpt: idq; non sine ratione, prout exemplo *Danielis ejusq; sociorû, Dan. 3. septem fratrum Maccabæorum, 2. Maccab. 7.* Et ipsorum Apostolorum Act. 5. v. 48. Quod ipsum etiam *Ignatius, Policarpus, Laurentius*

& alij comprobant. Et Licinii tempore multos e Tyranni ministris, antea piorum tortoribus, Martyrum cæci sese spontè adiunxisse, & martyrii coronam reportasse testatur Basil. M. in concione sua Anno Christi 340.

23. Quid

23. Quid verò de *di. Sive: gĩa* seu *di. Soperia* statuen-
 dum; & Num violentas sibi ipsis manus inferentes & mortem
 spontè consciscntes fortitudinis laudem mereantur? 7. Sapè
 etiam quæritur. Adquam quæst: resp. Negando,
 Quamquam neq; hic objectiones desint. Et ut multa
 argumenta paucis verbis cõprehendamus, sic occini po-
 test; Quod ratione, prudentum & magnorum virorum exem-
 plis non modò ex prephanis historijs, verùm etiam sacris, imò &
 dictis scripture S. probari potest, id planè non negandum; Atqui
 authocheiriam esse licitam atq; honestam & fortitudinis speciem
 ratione, exemplis &c: probari potest E. Tertium argumen-
 tum seu med: term: cum plura habeat membra, per
 partes enodandum & explicandum venit, ut assumpt:
 cõfirmetur; propof. enim major evidēs est, 1. igitur ratio-
 ne sic: Qui omnium terribilium terribilissimum contemnit & a-
 nimose aggreditur est fortis. Et satius est semel moriendo o-
 mnium calamitatum finem facere quàm sæpè mori & affligi;
 Diu siquidem vivere est diu torqueri. Quin & propter
 vitandum scandalum & turpitudinem, ut *Lucretia*, vel
 desiderio melioris vitæ cum *Cleombroto* hancce depõere,
 honestissimum videtur. 2. Exempla iam allata sunt,
Lucretia honestissima femina romana, quæ ob violatam
 à *Tarquino* pudicitiam seipsam interemit: *Cleombro-*
tus perlecto *Platonis* libra de immortalitate anime, eandem
 ex hoc ergastulo dimittere festinavit: ut refert *Cic.* 1.
Tusc. Seq; de muro præcipitem dedit. Addi possunt *Zeno*,
Cleanthes, *Anaxagoras*, *Cato*, *Scipio*, *Brutus*, &c. Sicut 3.
 ex *Sacris Simson* judic: 17. & *Rhassis* 2. *Macc.* 14. & 4. Scri-
 pturæ dicta, *Jof.* 23. v. 24. Mors vocatur via universæ car-
 nis: Qua igitur est via universæ carnis, i. e. omnium ho-
 minum, eam sponte ingredi licet. Et *Eccl.* 7. Melius

est ire ad domum luctus quam ad domum convivij; Sed domus mortis est domus luctus. Et Hebr. 13. v. 14. Non habemus hic manentem civitatem; *E. in illam qua stabili est permanens est quantocius commigrare licet.* Et Quod omni homini propositum ac constitutum est, id quamprimùm maturare fas est; *Sed homini constitutum est semel mori etc.*

24. Atqui respondetur 1. ad rationem, non satis esse aggredi terribilia animosè, nisi & fiat honestè. Neq; impiè morièdo calamitatum finis fit, sed initium prout ex verbo Dei constat. Nec moriendo delictum eluitur; si voluntariè admissum fuerit; sine voluntate autem nullum peccatum peragitur. Mortaliter verò sic exuere, ut deinceps in æternum morièdo n sit periculosissimum atq; inhonestissimum est. 2. Exempla igitur prophana nihil probât. Et qui propter metum imminientium malorum seipsum interimit, mollis & pusillanimis est, non fortis. 3. Simsonis exemplum peculiare est, heroicum & typus Christi, quod temerè non imitandum; Rhasis verò ex libro apocrypho paganismum sapit. 4. Ad dicta S. script. Mors est via universæ carnis, quam tamen nisi vocato ingredi non licet. Domum luctus ingredi bonum est non facere; at qui se interimit, facit. Non habemus quidem hic manentem civitatem; Attamen stationem, ante tempus deserere integram non est. Et deniq; quod homini propositum ac constitutum est, *scilicet simpliciter & sine ulteriori vocatione* id fas est maturare; utpote, ubi duo aut tres in meo nomine congregati sunt, ero in medio eorum Matth. 18. v. 20. Sed propositum est homini mori sc. cum Deus voluerit, non quando ipsi placet.

52. Autocheiriam autem ideo damnã, quia verbo Dei s̄to sc. præcepto contrariatur, nec non iuri civili, naturæ & ipsi honestati, qui enim seipsum occidit, hominem occidit. At nemo est membrorum suorum Dominus, nedum animæ & vitæ. Cum hæc tamen limitatiõ; Ut qui vel in navali pugna navẽ quã vehitur, vel arcem in qua obsidetur, in manus hostium non sine magno horum emolumento, patriæ verò incommodo, indubitanter perventuram cernit, ignem pyrii pulveri iniiciẽs se suosq; propter publicam utilitatem devovet; quales etiam heroës nostra patria genuit, suã laude non defraudetur. Vid. Chemn. qui ad exemplum Samsonis respondet eum præterquam quod typus Christi fuerit; etiam publicam personam gessisse cui publica vindicta commissa ut hostes ulcisceretur. Hic igitur cū publica utilitas atq; honestas militent, virtutem adesse prorsus negandum non videtur. In alijs verò casibus quibuscunq; sibi ipsi vitam eripere nunquam honestum statuimus.

26. Sed *numne etiam mercenarij milites fortes dicendi?*
2. In disceptationem venire solet. Affirmativa inde extrui potest, *Quòd competat etiam huic militari fortitudini vera fortitudinis definitio.* Deinde *Si mercedem honestè accipere possunt; & honestè pro eadem pugnare; Sed verum prius & posterius.* Proinde etiam hi honestatis gratia pugnant, & sic verè fortes non immeritò dicuntur. Respondetur tamen reassumendo supra citatam distinct: inter *veram & apparentem fortitudinem*, hac insuper additã mone-lã; inter apparentis fortitudinis species, quasdam ad veram propius accedere: Nec tam facile ab eadem distingvi: sicuti *hac* multo magis cum verã fortitudine

convenit quàm *coacta* vel *iracunda* aut *stulta*. Exerceatur namq; etiam in defensionem patriæ & magistratus, atq; fide datâ nititur. Propriè autem & strictè dicta *fortitudo vera non est*, dummodo mercedis magis quàm honestatis causâ exerceatur; Quamvis enim merces honesta esse possit, honestas tamen ipsa non est, cum inter *abstractum* & *concretum* accuratè distingvendum fuerit. Sin verò etiam mercenarius miles potissimum honestatis gratia militet, etiam si mercedem tanquam necessariam sustentationem acceperit, quin verè fortis dici possit nihil prohibet. At quatenus mercenarii milites reip. utiles sint; ad politic. pertinet adeoq; in disp. de bello exprimitur.

27. Quid insuper de illis tenendum qui ex desperatione magno cum impetu in hostem ruunt ingentemq; stragem faciunt, & non raro victoriam reportant, ambigi solet. 9. *Anne etiam desperabundi fortiter pugnautes verâ fortitudine polleant?* Asserunt non paucis in locis historici ita Florus *Spartacum* simul cum socijs, eruptione factâ cum circa angulum Brutium inclusus esset, *fortissimè dimicantem* quasi imperatorè occisum esse, ait. Ita *Catilina* cum suis, postquam vidit montibus atq; copijs hostium sese clausum, teste Sallustio, optimum factu ratus in tali re fortunam belli tentare pulcherrimâ morte concidit: ut idem *Florus* author est. Et ipsum *Alexandrum M.* abducendo naves necessariâ suis militibus fortitudinè fecisse *Curtius* refert, *Neg. similia exempla nostro etiâ seculo & aetati desunt, ubi ad fortiter pugnandum extrema necessitas cogit.* Interim tamen nos, si questio de *verâ fortitudine* intelligatur, negandam statuimus: *apparens enim saltem & minus accuratè dicta fortitudo, coacta* sc. hic tantummodo adest, prout ex superioribus satis constat.

28. Movetur etiam questio à philosopho 3. Ethic. c. 8, cum

e. 2. cum alijs. 10. *Utrum Fortitudo magis in subitis & inopinatis quàm expectatis periculis cernatur?* Quod rectè affirmatur; Ea siquidem animi constantia quæ à perfectiori habitu dependet minus præparationis requirit. Obijci tamen potest: *Omnis vere virtuosa actio sicum deliberatione; sed ea que subito & in speratò ingruunt sine deliberatione excipiuntur.* Ergò circa illa non est virtuosa actio. Nedum magis quam circa expectata.

29. Responderi tamen potest negando ino.; prop. Nam utcunq; festinum & subitaneum est periculum nõ omnis tamen deliberatio abest, *celerrimi quippe sunt animi motus.* Non adeò quidem prolixam & operosam sicuti in prævisis haberi posse deliberationem fatendum; aliquam tamen adesse posse res ipsa loquitur. Quippe etiam *in arenâ sæpè consilium capiendum esse,* proverbio monemur. Ut & hoc addatur; deliberationem tum præcessisse cum habitum virtuosum fortis acquisiverat, seq; ad omnes casus præmunivit ac præparavit: quod etiã prudentia omnium virtutum oculus requirit.

30. Quæri adhuc solet. 11. *Num forti salvâ fortitudinis laude unquam fugere liceat?* Regustata distinctione inter pericula *quæ humanam sortem superant:* de quibus minus potest esse dubij, & *quæ humanis viribus sustineri queunt:* si quæstio de hisce accipiatur, primâ fronte neganda videtur. *Siquidem fugere & pericula nõ intolerabilia honestè aggredi opposita sunt: quorum alterutro posito alterum tolli necesse est.* Si igitur talia pericula animosè aggredi semper licitum & honestum est, tum sequitur eum qui talia fugit & ex iisdem se subducit, non *fortem sed timidum, surpem atq; inhonestum esse.* Proinde & ulterius sic inferri potest. *Quicquid directè pugnat cum officio viri for-*

his, id ipsum nunquam licitum aut honestum erit: Atq; mala tristia, quæ honestatis & publicæ utilitatis gratiâ ad eunda veniunt, fugere, directe cum officio viri fortis pugnat: E. Eadem ipsi fugere nunquam &c: Utraq; præmissarum ex definitione & naturâ fortitudinis satis elucet. Nec leve est hoc ipsum argumentum.

31. Interim tamen altiùs pensitatis circumstantijs (quæ in hominum actionibus & politicis negotijs omne ferunt punctum) inspectoq; sine qui actionem dirigit, Non immeritò concluditur: Fortem interdum licitè & honestè etiam fugere posse, cum sc. per fugam & secessionem ac retrocessum illius publicum bonum non retardatur aut impeditur: Sed promovetur potius ac reparatur. Quod si verò fugam, salus reip. & officij ratio non admittunt, fortiter potius moriendum, quam vel unguem latum retrocedendum fuerit.

32. Ad arg. contrar. resp. 1. Pericula honesta & tolerabilia aggredi honestum & laudabile est, potissimum ubi publica honestas id svalet. Quâ limitatione adhibitâ, minor prop. seu assumpt. corrui. Sin autem quis instet: Non esse facienda mala aut eveniant bona: Sed fugere in bello & hastam abicere malum est: E. Resp. Ex dist. inter malū simpliciter atq; absolute: & malum secundum quid. Fugere simpliciter malum non est, sed secundum quid; Quod ipsum ratione maioris mali, boni rationem induit. Ita multi hostium furori, multitudini alijq; incommodis pro tempore cedentes, utilissimam deinceps reip. operam navarunt. Quod historiæ cum experienciâ testantur. Sic Varro apud Cannas: Antigonus; Humiades ad Varnam fugientes ad meliora reip. tempora sese reservarunt. Qui autem semel occidit: nullum deinceps hostem sternit. conf. Fasc. contrav. Eth. Sicil. 12.

33. *Quæstio etiam est hoc loco non inusitata; 12. An fortitudo aliquando forti noceat? Affirmativa primo intuitu verior videtur: Siquidem per fortitudinem mul-
ti fortunarum omnium iacturam adeoq; & vitæ non raro subeunt, ut in extremum discrimen adducuntur; Unde talis exurgit ratiocinatio: Quod fortem non modo alijs bonis, verum etiam valetudine, membris corporis, & vitâ ipsâ nonnunquam privat, illud ipsum interdum noxium & damnosum est; Sed fortitudo fortem.* &c. Dum nimirum persecutionibus se fortiter opponens, divitiis, patriâq; exiit, & morte domi aut in bello multatur.

34. Firmiori tamen fundamento negativa nititur: Nulla quippe virtus, virtuoso *per se & quâ talis nocet; At fortitudo est virtus.* E. Unde etiam satis patet, quid ad objectionem respondendum; esse videlicet fallaciam *accidentis*: dum id quod fortitudini ex accidenti competit, per te eidem tribuitur. Deinde responde-
tur, bonorum, patriâ, membrorum aut vitæ amissionem *forti minime nocere*: Sed cum coronâ immarcessibili propterea coronetur, in maximo lucro damnâ isthæc, ut vulgo videntur, ponenda esse.

35. Tandem 12. & ultimo quæritur; *Anne etiam viri fortis sit injuriam aliquando tolerare?* Affirmatur Quamquam obstare videtur. 1. *Quod fortis circa pericula solummodò honesta versetur: Atqui injuria non est res honesta, E. circa illam fortitudo nullatenus occupatur.* 2. *Quod est hominis imbellis & imbecillus, id non est viri fortis: Sed injurias tolerare est hominis imbellis & imbecillus.* E. Verùm resp. Ad prioris arg. assump. Injuriam dupliciter considerari posse, nimirum vel relatione ad injuriantem vel injuria affectum; esse a. rem inhonestam *ratione inferentis*: ratione autem patientis & sustinentis non semper. & tum à forti
etiam

etiam, ferentibus ita circumstantijs, & svadente recta
ratione pulchrè perferri imò contemni posse. Ad
2d. resp. iidem minorem propositionem non esse simpliciter verã;
Namq; Moses David & Salvator CHRISTUS, absq; dubio fortes fuerunt, iniu-
rias tamen tolerarunt. Quinimo togata fortitudo, non rarò in patienter
ferendis convitijs, quod Socratis exemplum commonstrat, sita est.

36. Quærunthic alij: *An bella Christianis licita?* Sed
ad casus conscientia & theolog: hoc pertinet. *An du-
ella illicita & prohibenda?* Quæ politica quæstio est. *An
verò honestum sit provocatorem agere, vel in comparendo, si
quis provocetur, promptum se exhibere?* Ethicè quæri po-
test. At ex suprapositis fundamentis facillè deciditur.
Scilicet ubi nulla honestas, nedum publica utilitas ibi
nulla virtus. At regeris: *honestum est famam tueri, quam
qui negligit crudelis est. Nam honor seu fama & vita pari pas-
su ambulant.* Sed stultè, fama enim Scornatibus & inju-
riosis verbis non læditur: verùm talia evomens suam
prodit insaniam. Posito autem graviores esse injuri-
as, iisdem per legitimos tramites & ope magistratus oc-
currere fas est: *Nisi contra mandatum CHRISTI Gladi-
um sumere, quis non exhorrescat.* Patet proinde, verè fortes non
esse qui periculis inconsideratè sese exponunt; Nedum Trasones & iacta-
bundos, qui in symposijs vel cauponà cum totà cohorte sese congregi posse
gloriantur; Et tamen si sobrii vel unicum in campo militari habitu occur-
rentem advertant, caligæ præ timore ad talos usq; demittantur: Neq; ex
impatencia mortem oppetentes vel gravia mala aduantes; Sed eos ad
fortitudinis laudem solos assurgere qui honesta & pu-
blicè utilia pericula magno animo aggrediuntur
& constanter sustinent, sive id bello sive pace contin-
gat. Nam privata etiam fortitudo, non modo exemplo, quin etiam ob-
tranquillitatem consequentem publicè conducit. Ethæc de fortitudine hæc
vice dicta sunt.



COLLEGII ETHICI
DISPUTATIO SEPTIMA
De
TEMPERANTIA

Respondente JOANNE ANDREÆ TIBELIO VVestm.

THESIS I.

PRogredimur jam ad *virtutes Ethicas Sextum*
Decalogi Præceptum spectantes, quæ *Temperantia* nomi-
ne comprehenduntur: Quòd cupiditates ac desideria
voluptatum temperent atq; refrenent. Græcis autem
notantèr Σωφροσύνη dicitur; quasi bonam mentem &
prudentiam servans aut salvans. Nostratibus vel ni-
mis angustè Nychterheet sonat: quippe hæc vox solam
sobrietatem propriè denotat: Vel latius Wätelighheet
audit, quod generaliter quavis moderationē significat.
Verùm tropus, videlicet Synecdoche, rem faciliè declaraverit, quæ latiora pro
strictioribus & vice versa, non rarò adhibere solet.

2. Hic quanquam frustraneum sit quærere, *an detur*
Temperantia? cum id per se manifestum, & ex supra-
dictis faciliè à quovis demonstrari queat; Sicuti & *an*
Temperantia sit virtus? Non immeritò tamen dubium mo-
veri poterit; *An Temperantia sit virtus peculiaris* & à cæteris
distincta? Ejus etenim negativa sic stabilitur; 1. *Moderatrix omnium commotionum in homine, non est peculiaris vir-*
tus; Sed omnium coagmentatio & cumulus; Atqui Tem-
perantia est moderatrix omnium commotionum. Ergo non est
peculiaris virtus. Major patet; Omnes enim commotio-

des moderari non est hujus vel illius virtutis specialitèr acceptæ, sed virtutis in genere, Quippe *justitia* particularis commotiones ex cupiditate rei alienæ ortas, *fortitudo* ex metu & fiducia; *liberalitas* commotiones ex cupiditate divitiarum manantes moderatur; & sic deinceps, Nulla autem virtus peculiaris omnis generis cupiditates coërcet. *Minor* stabilitur *authoritate* Cic. qui lib. 2. & 5. de finib. boni sic scribit; Temperantia est moderatio cupiditatum rationi obediens; Item, moderatrix omnium est commotionum.

3. Huc etiam facit. 2. Quod temperantia in ceteras virtutes tanquam partes dividi ac dispartiri soleat; nimirum mansuetudinem, liberalitatem, gravitatem, iracundiam, urbanitatem, frugalitatem, taciturnitatem &c. Unde clarum est, eam non speciem virtutis esse seu specialem, sed totâ virtutē & omnium complexū. Vide Heider: *philosoph. Moral. part. 2. de Temperantia.*, p. 500. Confer. Cic. lib. 3. *Tusculan. quest.* Ubi ait, Temperantia est moderatio quæ turpiter & nequiter facere nihil patitur.

4. Affirmativam nihilominus quæstionis tenemus: Et utriq; allatorum argumentorum unâ & eâdem responsione occurrimus; *Ambiguitatem* vocis *Temperantia* enodando, quæ inter alia per plurima ex eorum numero est quæ pluribus modis accipiuntur. Et potissimum tres ejusdem significationes annotamus. 1. Enim generalitèr quamlibet virtutum & affectuum moderacionem denotat, quæ acceptio Platoni in *Charm.*; & *Stobæo, Serm. 5.* ubi eâdem partium animæ consensionem & universalem omnium virtutum nomen appellat; Nec non Cic. locis citatis est familiaris. 2. Specialitèr virtutes quasvis corporeas voluptates ad mediocritatem revocantes complectitur. Unde *Plutarch. lib. 7. Sympos. quest. 5.* Contra *Temperantiam* non modò voluptatibus, gustu, tactu

tactu & olfactu perceptis, sed illis etiam quæ oculis & auribus se ingerunt, peccari asserit. Et 3. deniq; *Specialissimè sumpta, Temperantia est virtus moralis, quæ voluptates ex sensibus gubus & tactus fluentes debita mediocritate appetuntur, & honestè usurpantur.* Quæ postrema acceptio à nobis uti & alijs accuratissimis philosophis & Ethicis præcipuè attenditur; Secundam tamen non planè excludimus.

5. Ex jam allatis facilè patet in contrarium objecta, loqui de *temperantiâ in primo significato*, & sic nihil contra nos facere, qui de *posterioribus* assertionem ponimus: Unde si ita intelligenda veniant argumenta, concedim^{us} utrumq; nimirum, *Temperantiâ in generalissimâ acceptio- ne non esse specialem virtutum.* Sin aliter quis accipien- dam conclusionem urgeat videlicet de *Temperantiâ speci- alius acceptâ.* Tum oriuntur *quatvor termini* in Syllogi- smo dum in præmissis seu antecedente, *temperantia gene- raliter accipitur*, quod per se patet, in consequente seu conclusione *specialius*: Atq; ita scopæ sunt dissolutæ & nihil con- cluditur: Cum omnis rite formatus syllogismus tribus tantummodò termi- nis constare debeat, quod Logici docent.

6. Quodnam verò sit *objectum temperantiæ* (siquidem ex objecti cognitione virtutum & habituum natura dis- palefcat) Definitio satis indicat; Nimirum *externum primarium sunt voluptates; internum; secundarium sunt dolores desideria & cupiditates carundem.* *Anne autem et- iam circa dolores temperantiæ occupetur?* In fasc. Ethic. quæst. Sect. 2. Memb. 5. Q. 1. breviter decisum est, ubi affirmativa defenditur; Et ratio quæ in contrarium adduci potest eliditur. Sic enim opponi poterit: *Speciale objectum unius virtutis particularis, non est vel esse potest objectum alterius; Sed dolores & adversa sunt objectum forti- tudinis quod ex superiori disputatione planum;* Hæc cau-

autem est particularis virtus, sicuti etiam temperantia, prout à nobis accipitur; Ergo dolores non possunt esse objecta temperantia. Major est manifesta, cum objectis virtutes potissimum distinguantur, & ab illis naturam & specificationem accipiant, in generali enim forma omnes conveniunt. Menor iam est stabilita.

7. Sed resp. ex allegata distinctione citato loco, eam sic applicando; & majorem propositionem limitando; objectum unius virtutis eodem modo quo est hujus non est objectum alterius; Sed dolor est objectum fortitudinis scilicet positivè, id est, quatenus mors, paupertas, ignominia, morbus, dolorem verè afferunt; & in istis adversis magno animo sustinendis ac ferendis fortis rectè sese gerit; E. dolor iste eo modo consideratus non est objectum temperantia; Et sic concedimus totum argumentum: Alià enim ratione huius etiam objectum quodammodo dici posse dolorem asserimus, videlicet negativè; hoc est, ut propter derogatas vel subtractas voluptates corporeas, temperans immoderatè non doleat. Patet itaq; aliter & circa alios dolores versari temperantia, circa alios fortitudinem. Ut & illud obiter addatur; Fortitudo circa dolores per se est primario cernitur, temperantia ex accidente & secundario eosdem respicit.

8. Cumq; circa voluptates primario versetur temperantia, & earum variz sint distinctiones ac species, non injuria etiam quæri solet; An temperantia circa omnes voluptatum species aequè versetur? Prout & hæc quæst: In fascic. contr. Ethic. Cit. sect. est memb. quæst: 2. Quodammodo ventilatur. Uude etiam distinctiones repeti possunt 1. Voluptas alia animi, alia corporis est, circa hanc non illam, Temperantia strictè sic dicta occupatur. Quã-

vis non dispendium etiam circa fruitionem istius voluptatis per indirectum & consequenter peccari posse. v.g. Si quis speculationibus rerum naturalium, Mathematicarum &c. ita indulgeat usque sese adeo abdat ut publicam utilitatem & magis necessaria vocationis munia negligat; is quidem quatenus circa rem bonam, honestam & laudabile occupatur, directe & per se crimen aut vitium committere dici non potest; *Indirectè tamen ex accidenti & consequenter*, dum sc. majus bonum negligit peccare dicitur. *Contra temperantiam* verd, prout hic accipitur, propriè nihil admittit.

9. *Corporis voluptas.* 2. Subdistinguitur, quòd alia sit *interiorum sensuum*; alia *externorum*, circa hanc non illam versari temperantiam propriè dictam ex suprapositis patet. *Exteriorum autem sensuum voluptas* alia est *visus, auditus & olfactus*; Circa quam per se & directè non peccatur; siquidem oblectationem ex picturâ, musicâ vel arôatis petere absolute vitiosum non est, quatenus tamè turpitudinis aliqua sit representatio, vel ad eandem instigatio, per accidens, *indirectè & consequenter* hæc voluptas temperantiæ dirigenda obijcitur; *Alia gustus & tactus* circa quam *maximè, directè & per se* peccari solet, que proinde *primarium est* huius virtutis obiectum.

10. Ast occini potest; *Temperantiã per se versari circa eas voluptates quæ cum brutis sunt communes; sed voluptates visus, auditus & olf: cum brutis sunt communes. E. etiam circa eas versatur temp.* Major confirmatur auctoritate Arist.: & consensu omnium Ethicorum: Minor est manifestissima quòd enim Equi, Delphini, Apes, Oves &c. Musicâ delectentur historiz & experientia edocent: Nec quisquam ignorare potest bestias etiam visu & olfactu eorum, que pabuli aut libidinis speciem representant, capi & oblectari.

11. *Resp. tamen*, ut ex antea didis facile est colligere; *Temperantiã per se versari circa voluptates comm*

brutis communes; nimirum *in quibus per se & directe peccari potest.* Nam neq; ipsa bruta ex odoratu vel aspectu primario & per se jucunditatem hauriunt (nisi physice quis loqui velit;) Sed dum hisce tanquam medijs intervenientibus, gustus vel tactus oblectationes & voluptates obijciuntur; quæ proinde belluinæ & maxime serviles appellari solent.

12. *Subdividitur 3. Voluptas tactus in eam quæ est in toto corpore, utpote quæ ex calefactione, refrigerio, lotionne, unctiõne, frictiõne percipitur; Et eam quæ est in certis corporis partibus, nimirum genitalibus, lingvâ, palato, gulâ, ventre.* Circa illas minus quatenus liberales sunt, *circa hæc autem ceu illiberales vel maximè temperantia imperium exercet atq; versatur.*

13. Et deniq; 4. *Voluptas gula & ventris in communem & naturalem, quæ individui vel speciei conservacionem per se intendit: Et propriam seu accersitam dispelcitur.* Quæ à naturâ simpliciter ingenerata nõ est, sed pro cujuslibet inclinatione, lubitu, aivefactione varie exuberat. Unde etiam *circa hanc majus quàm illam temperantiæ negocium esse patet.* Atq; sic ad primarium & specia-
lissimum temperantiæ obiectum pervenimus:

14. Ex diversitate autem & subdivisione obiecti cum plures oriatur *temperantiæ species, nimirum frugalitas, quæ in sobrietatem & abstinenciam subdividitur; Et castitas quæ in virginalem, vidualem & conjugalem dispelcitur, pro- ut ex Ergast. virt. thes. 37. satis aperte colligitur: Hinc non incommode quæritur: An temperantia rectè ad sextum præceptum referatur? Cum illud castitatem tantum præcipiat? Nos affirmativam tuemur tali argumento: Si temperantia cum sexto Decalogi præcepto idem ha-
bet*

bet obiectum, neq; ad ullum aliud commodius referri potest: sequitur eandem ad hoc ipsum recte reduci: At qui verum prius; E. & posterius.

15. E Contra tamen sic obiectari potest: Si sextum præceptum castitatem solummodò mandat atq; commendat: tum non omnem temperantiae speciem, quod particula exclusiva solummodò, vel solam satis indicat: Sed & erum prius, E. & post. Tritum etiam est, à particulari ad universale non valet consequentia: Quamvis igitur 6. præcep. particulariter castitatem urgeat, non ideo statim omnem temperantiam præcipit aut includit.

16. Breviter tamen resp. 1. Ex trito canone: qui vult finem, vult etiam destinata ad finem, sed in gluvies & ebrietas ad alterius & libidibus inserviunt, non secus atq; frugalitas castitatem gignit: E, qui hanc præcipit: illam omisisse censendus non est. 2. Est & alia regula practica: Qui vitare vult peccatum, fugiat quoq; occasionem peccandi, Sed gula veneri occasionem præbet ac faciem præfert, juxta illud poëtae, Sine cerere & Baccho friget verus. E, qui hanc coercitam vult, isti fræna laxare nequit. 3. Ad maximam logicam: A particulari, ad universale non valet consequentia, nisi hoc ipsū particulare alia etiã præsupponat, quemadmodum ex iam allatis hoc loco fieri patet: Neq; etiam Deus hic particulariter castitatem præcipit frugalitate exclusã: Sed & hanc & quicquid castitatem per se generat, promovet aut conservat.

17. Siquidem igitur non modò temperantia a qua est virtus Ethica, verum etiam ipsum mandatum divinum frugalitatem injungit, hic enodandum venit: An omnibus hominibus eadem cibi ac potus mensura prædefinienda sit, ut temperantiam servent? Affirmativa videtur sic colligi posse.

posse: 1. *Quod Deus & virtutū prescriptam equaliter omnibus hominibus precipit, id ab omnibus equaliter est praestandum; Sed temperantiam omnibus hominibus Deus & virtutis prescriptum equaliter precipiunt. E, ab omnibus equaliter est servanda.* Et per consequens non licet uni plus quam alteri edere vel bibere: Dummodò temperans esse vel haberi velit. 2. *Virtutis essentia consistit in indivisibili; Neq̄ latitudinem admittit. E, eadem mediocritas omnibus stricte servanda erit. Et 3. Notum est illud Lipsij: virtus nec sexum nec sensum recipit; neq̄; sexus: nedum ætatis vel staturæ neq̄; divitiarum rationem habet: E. Virtus ab omnibus iisdem legibus eademq̄; ratione & modulo colenda & exercenda venit, adeò ut plus non liceat uni quam alteri.*

18. *Negativa tamē verior est cuius nostræ assertiōis hoc est præcipuum fundamentum: Quicunq̄ tantum cibi & potus assumit, quantum natura & virium refectio postulat, nec magis nec minus, is temperantiam servat: Sed in omnibus hominibus eadem nutrimenti quantitas ad refocillationem & refectiōem virium naturā non requiritur: Ergo etiam in diversa nutrimenti quantitate temperantia servari potest. Major est manifesta, siquidē virtus non contrariatur naturæ sed eandem sequitur, fovet, sublevat: Unde non male veteres quidam philosophi dixerunt: virtuose vivere est congruenter naturæ vivere. Cic. 3. de finib. Et nisi hoc esset, tum virtus naturam destrueret, vel ab eadem destrueretur, quod utrumq̄; absurdum. Minor etiam meridiana luce clarior est, cū omnes homines non modò ætate & valetudine, sed & staturā, complexionē, calore &c. non convenient.* Quis igitur corpulento & gracili; giganti & pumilioni, adolescentulo & seni calore abundanti & frigido eandem sibi ac potus mensuram sine vitio & ridiculā absurditate præferri here tentaverit.

19. Ad contraria argumenta resp. paucis, nam in re manifesta multis opus non est. Et in 1. Arg. neg: min. Deus enim & virtutis præscriptum absolutam aequalitatem non exigunt, sed proportionem & mediocritatem secundum viri prudentis iudicium. Quæ mediocritas non rei sed personarum est, i. e. pro harum circumstantijs variat: prout ex atea dictis de virtute in genere reperti potest. Ad. 2. Virtutis essentia consistit in indivisibili si secundum se & absolute consideretur. At in existentia prout exercetur & actionib⁹ exprimitur, latitudinem aliquã etiam in virtutibus reperiri certum est. Potest enim hic plus dare ille minus, & uterq[;] tamen liberalis esse, & sic de cæteris. 3. Lipsij dictum non hunc habet sensum, quod omnes homines mares & fœminæ &c. easdem planè circumstantias per omnia servabunt in virtutis exercitio, quod impossibile. Sed vult dicere virtutem neminem refrenare. Non sexum, non conditionem. Mulieres non minus quàm viros virtutis capaces esse, pauperes non minus quàm divites, & sic consequenter.

20. Sed cum hic de moderatione in cibo ac potu agatur, commoda se offert occasio, Anne igitur convivia honestè celebrari, & temperans q[;] sine virtutis jactura interesse possit? eventulare. Distingvendum autem venit inter convivia intempestiva, luxuriosa & inhonestà; Et inter convivia honesta tempestiva & sancta. Talia etiam sanctos patriarchas, Reges & Prophetas celebrasse ipsq[;] ut & Salvatorem ipsum interfuisse novimus; quin igitur honestè & licitè & celebrare & iisdem sine vitio quæ interesse possit, non dubitamus. Dummodò in omnibus memores simus creatoris; memores officij: memores Christianæ charitatis.

21. Quòd si obijciatur. 1. Illud sapientis, melius est do-

inimuludno quāto gaudij frequentare, in illā enim melior; In hāc deterior quis redditur. 2. Quod in convivij non tantum multa scandala occurrant; Sed variaz etiam occasiones & illicite peccandi sese offerāt. Respond. 1. Sapientem non absolute convivia damnare, sed comparatē saltem loqui. Unde omnia convivia inhonesta esse, minus rectē concluditur. 2. In secundo convivij per se tribuitur, quod iisdem ex accidenti saltem competit: Intempestiva autem luxuriosa & inhonesta convivia simpliciter damnantur.

21. Hāc eandem etiam occasione quaeritur, *An ulla ebrietas honesta esse possit & excusabilis? Sunt qui affirmant; Nee planē desunt qui omnimodē negant. Horum palmarium est argumentum: Omnis abusus vini vel alius potus cujuscunq; generis est illicitus & inhonestus; Sed omnis ebrietas est abusus vini & potus cujuscunq; Cum ad sitim tantummodo restringendam hic concessus sit juxta illud Virg: de vino & veneri;*

*Vina sitim sedent nativā venus alma creandis
Serviat: Hos fines transsiluisse nocet.*

E. *Omni ebrietas est inhonesta, illicita & inexcusabilis. Huc etiam faciunt monita, imō fulmina sacrae scripturae: Nolite inebriari vino, Eph. 5. v. 18. Vae qui confurgitis manē ad ebrietatem sectandam. Esaj. 5. v. 11. Cavete à crapulā & ebrietate Luc. 21. v. 34. Gal. 5. v. 21. Virum & mulieres apostatāre faciunt sapientes; Ecclesiastici 19. v. 2. &c. Quibus addi possunt Patres: August. ad Sac: Virgines: Ebrietas est flagitiorum omnium mater, culpārumq; materia; radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subversio sensus, tempestas iugis, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, infamia voluntaria, ignominiosus langvor, turpitudine morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. Et alibi idem in quodam sermone; Ebrietas est blandus Dæmon, dulce venenum, sive peccatum quāta qui habet seipsum non habet, quāta qui facit, peccatum non facit, sed totus est peccatum.*

Et id genus alia per plurima quæ contra ebrietatem afferri possent.

23. Quendam verò ebrietatem tolerari imò excusari posse, adeoq; etiam honestam esse, inveniuntur etiam qui seriò asserant; Tali argumento: *Quod in scriptis non modò à sanctis factum legitur, verùm etiam suadetur; Et finem rerum naturalium continet, hominùq; insuper valetudinem promovet, id planè illicitum & inhonestum non est; Sed quadam ebrietas est talis.* E. Major cum sit manifestissima, & suà luce radiet: Minor paucis stabilienda venit, 1. Gen. 43. v. ult. Biberunt Joseph cum fratribus & inebriati sunt &c. 2. Cantic. 5. Bibite charissimi & inebriamini, Prov. 21. v. 3. Psalm.: 104. Vinum lætificat cor Et 4. Vinum sanitati conferre omnium medicorum calculo constat: addatur & autoritas S. Pauli Thimotheum admonentis ut vino utatur.

24; Verumenim verò, argumenta hïc utrinq; allata cum haud parùm ponderis habeant, & veritate etiam utrobq; secundum quid nitantur. Distinctione res expedienda erit, & accurata vocabuli ebrietas discussio, & ambiguitatis enodatio adhibenda. Sumitur enim vox hæc potissimum tripliciter. 1. Metaphoricè idq; vel in bonam partem pro spirituali & supernaturali ebrietate, i: e. lætitia & animi tranquillitate ex rebus honestis percepta; ita Psalm. 36. v. 9. inebriantur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabù eas. Huc & illud Cantic. 5. sup. cit. Vel in malam partem aut pro vehementiori animi perturbatione, aut stultitià & imprudentià secundos rerum successus comitante: ita quis fortunà ebrius dici potest: quâ locutione etiam Horatius de Cleopatra utitur Et hæc ebrietas aliàs sicca dici solet. 2. Est ebrietas quæ-

dam naturalis, quã vinum juxta naturam suam reficit & exhilarat hominem eiusq; naturales vires erigit, uti ex *psal. 104. v. 15.* conclusũ, de quali etiam *Genes. 43.* sermo est. Et 3^o *strictè* dicta est ebrietas, deliratio ex vino orta, prout eam *Plutarch.* in *quæstionibus convivalibus* describit: Quæ aliis modis appellari convevit. Et hujus etiam diversi dantur gradus, ut sit vel *levior* seu *superficialis* uti vocant, vel *gravior*, vel demũm gravissima quæ mentis q; exilius inducit, ut loquuntur *libri*, qui in delictorum dijudicatione hosce gradus respiciendos monent.

15. Hisce ita præsuppositis, dicimus primam speciem, *metaphoricam* sc. hujus loci non esse, ideoq; nec de eadem hic quærendum. Nam *spiritualis* semper bona est ebrietas (hoc sensu) stolidam autẽ & sicca ista circa temperantiam obiectam non occupatur. *Naturalem* verò ebrietatem honestam & licitam esse argumento *th. 23. sup. aliato*, confirmari existimamus. Huc facit non modò illud *Prov. 31. v. 6.* *Date ficeram merenti & vinum ijs qui anguste sunt corde, ut bibant & obliviscantur egestatem &c.* Sed & dictum *Augustini*: Vinum potatum mediocriter est medicamentum; plus iusto sumptum venenum esse, cognoscitur. *Cicero* ad *salutem Virg. Et Theognis*: Vinum si quis caute, parè, moderatè, tempestive bibat, non tantũ non est noxium sed lege saluberrimum &c. Tertia deniq; species *proprie & strictè* dicta ebrietas, in *th. 22* merito damnatur. Quæ tantò etiam sit abominabilior si habitus ebriositatis accedat & frequenteretur.

16. Obijci tamen idhuc potest, & à non nemine regeritur: *Secundam ebrietatis acceptionem* admittendam non esse, cum *contradictio* sit in *adjecto*: ebrietas naturalis, licita atq; honesta. Non secus ac si fornicationem naturalem atq; honestam quis diceret. Sed resp. rem salvam esse: aliud enim

enim est de fornicatione loqui quæ semper in malâ partē accipitur; Ebrietas non item, prout ex supra allatis constat. Sin probari possit fornicationis vocem, unquam pro licito & honesto veneris usu, accipi; Sicut ebrietas pro gaudio, refectioe & lætitiâ ex moderato vini usu orta accipitur sæpissimè (præfertim inter bonos & virtuosos) tum haud parùm obstaret.

27. Hinc etiam non obscurum quid de poculis necessitatibus, sanitatis & hilaritatis statuendum; illa videlicet semper esse concessa, licita & honesta; hoc autem certis conditionibus, ni justo sit frequentius, intempestivum aut luxuriosum etiam admittitur. conf. fasci: contrav: Eth. sect. 2. memb. 5. quest. ult. Superfluitatis autem poculum tanquam verho Dei, natura & honestati contrarium, divitiarum & bonamentis inimicam, sanitatis pestem, turpitudinis & vitij fomitem, Diaboli tricas, inferni lenonem, semper & ubiq; vitandum statusimus.

28. Hic non tam in Ethicis queritur an detur ebrietas invita? quàm solent non pauci sese excusatum ire dicentes se præter intentionem & coactos fuisse inebriatos. B. Fatendum quidem levius esse vitium præter spem & absque procreli aliquid committere, quàm de industria, ex instituto & datâ operâ peccare; Aliquem tamen coactione se prorsus excusare posse vix verosimile. Non enim est vera coactio quæ fit varijs instigationibus, (vulsi- nibus & persuasionebus, quam tamen neq; approbamus; Sed coactio demùm esset si reluctans comprehenderetur, humi prosterneretur, & sic potus ipsi contra suam voluntatem in fauces instillaretur. Quam coactionem qui prætere non possunt vix est ut in coactâ ebrietate excusationem inveniunt.

29. *Quærunthic nonnulli; Cur sitis magis torquet ho-
minem quàm fames? Et cur potus majorem quàm cibus delecta-
tionem afferat? Sed cum hæ quæstiones meræ sint phy-
sica; easdem cum similibus alijs, ne heterogenias me-
ritò insimulemur, ad suum forum reijcimus. An verò
in ciborum delectu aliqua consistat Temperantia? Rectius
hic disceptatur. Et quavis simpliciter negandum nõ
sit temperantiam etiam in ciborum, ut & potus, delectu
spectari. Sicut enim qui non nisi exquisitissimis, de-
licatissimis & opiparis maximè ob voluptatem vesci &
frui vult, temperantiæ limites excedit, etiam si in debi-
tâ saltem quantitate sistat. Ita qui delectum negligit
talem, (nisi quid ratione sanitatis & valetudinis fieri
conveniat) hæc in parte temperans est. Nihilominus
tamen quòd hoc sensu temperantia in ciborum delectu
monstretur, ut volunt pontificij, quòd nunc carnibus &
lardo, nunc non nisi piscibus, ovis & id genus comedend-
is temperantia eluceat, est quòd negamus & pernega-
mus; juxta illud Christi, *Math. 15. 11. Non quòd ingreditur
in os, impurat hominem &c. Act. 10. Quæ Deus purificavit, hæc
communia ne dixeris. 1. Cor. 10. v. 25. Omne quòd in macello
venditur edite. Coloss. 2. v. 16. Ne qui vos judicet in cibo,
aut in potu. Plura vid: apud Dishmars: lib: 3. System: & Eth.
Exercit. 3. sect. 4. Discept: 2.**

30. *Opponihic solet ex Act: Apost: c. 15. v. 20. Ubi
Apostoli in primo Concilio Hierosolymitano, à sanguine sc. etiam
brutorum & suffocatis nõ secº atq; ab inquinamentis simulacrorum &
scortatione abstinendum concludunt: Unde & ciborum dele-
ctum verbo Dei congruum esse comprobari videtur. de U. T.
autem minus est dubij. Gen. 9. Levit. 17. & Deut. 12.
Sed Respond. Vet. Test. prohibitionem, legem fuisse
ceremonialem, ideoq; per Christi adventum sublatam,
quod*

quod supra allegatis textibus N. T. patet. *Apostolorum prohibitio* itidem fuit *temporalis*: scilicet propter vitandum scandalum, donec ecclesia colligeretur, ne infirmiores offensionem paterentur, & calumniandi ansam malevoli haberent. Quibus cessantibus cessavit etiam ipsa prohibitio; Et sic Christianâ libertate piè utimur.

31. Hæc de cibo & potu; Circa *venerem* quæri solet *Annulla caliblicitas sit?* Ubi simpliciter negamus cum *sto præcepto* & *ipsâ honestate*. Nec quicquam est vel minimi momenti (dummodò honestatis aliquis respectus habendus) quod in contrarium obijci possit. Si quem verò brutis se non ab similitè arguere non pudeat, aliqua forsitan invenire poterit. Imò nec à *Conjugatis venerem* semper & sine ratione certoq; respectu exercendam esse, ut vas suum in sanctificatione & honore possideant. 1. Thess. 4. v. 4. rectè concluditur. *Conf: Synops: æconom: part: 1. th: 18.* Modum verò honestas & recta ratio, tum finis divinitus propositus, *prælis* scilicet ac *generis humani multiplicatio* præscribēt & negotium gubernabunt.

32. Solet etiam hic loci quæri; *An lupanaria in honestâ rep. sint ferenda?* Sed quæstio hæc merè politica est: idèq; huc non spectat. Quod verò lupanaria ab homine temperanti & honestatem amante non frequentari, imò nec visitari debent; Ex iam positis tam est manifestum quàm quod manifestissimum. *Nulla quippe turpitudinis atq; honestatû mixtura esse potest.*

33. Et deniq; dubium movetur; *An choreæ in rep. ferenda?* Quæ quæstio sic informata, itidem *Politica* est. Sin autem *Ethicè* quærat *An saltationes seu choreæ sint licitæ & honestæ?* Resp. dist: Saltationes exercendi corporis *gratis* privatim institutæ *ethicè* neq; honestæ sunt neq; inhonestæ; Sed *physicè* ad valetudinem conducunt: Aliæ
verò

verò *saltationes* quæ in pub: congressibus instituuntur, aut sūt *piâ intentione*, ut Miriam Exod. 15. David. 2: Reg. 6. 7. 16. aut officij ergo ut in honorem sponsi & sponsæ, quod in nostris nuptialibus convivijs fieri assolet, vel ob aliam consimilem honestam rationem: aut *saltationes* sunt *leves immo modesta, superstitiosa, lasciva*. Illas approbamus: Has verò ultra garrantas ablegamus*.

33. Coronidis loco quod hic etiam moveri solet; *An per Temperantiam & bonam Diætam hominis vita prolongari possit?* Quæstionem physico-medicam istam putamus. Quæ admodum etiam à medicis medicamenta promitti solent quæ vitam ad 15. vel plures años protrahant. Id vero nos non ita intelligimus quod terminum à Deo præfixum transgredi in hominis sit potestate; Sed quod terminum hæc ratione attingere possit, quem aliàs nullatenus esset attingiturus*. Et hæc hæc vice de temperantiâ.

COROLLARIA HISTORIC:

I.

Vinum ante diluvium in usu fuisse, probabiliter saltè concluditur; ex sacris nusquã manifestè evincitur.

Nedum ex ullâ alia historiâ prophanâ confirmari potest.

2. Tria temporis intervalla quæ Varro constituit, primum incertum seculum, secundum fabulosum, & tertium Historicum etiam ad nostras historias accomodari possunt. Equis enim dubitare potest, per plurima & maximam partem, non dico omnia, quæ primis seculis à cœdis hisce regnis postea bœurâ oblivionis nocte sepulta incere? Certè Job. M. rerum patriæ curiosissimus & documentis, si quis unquam, instructissimus fateri necessum habet Regum quorundam Goth. solum nomina ad se pervenisse lib. I, cap. 13. in fin. quare etiam prima ista secula incerta vocare liceat. Deinde in historiis nostris multa fabulis involvuntur, dum Tyranni, impudici & impii Draconibus, canibus & monstris passim assimilantur; Et qui istos à medio sustulerunt, cum talibus puenam iniisse cantilenis etiamnum celebrantur. Quæ paganissimi sunt reliquis. Et hæc tempora fabulosa appellare liceat. A tempore autem Christianæ religionis certiorē nos habere historiā tunc profitemur, Omnia tamen priora in certitudinis aut falsitatis non agimus.

(S)(O)(S)





COLLEGII ETHICI
DISPUTATIO VIII.

LIBERALITATE ET
MAGNIFICENTIA

Respondente ERICO ANDREÆ GODENIO VVestmanno

THESIS I.

AD Septimum Decalogi Præceptum spectat potissimum LIBERALITAS & virtutes eidem cognatæ aut subordinatæ, cum vitijs seu extremis utrinq; oppositis. Ubi in limine haud immeritò notamus LIBERALITATEM non modò Latine, verùm etiam Græcè *λευδεριότης*, ἀπὸ τῆς εὐδερίας; & Germanicè *Frengebigkeit*; & Svecicè *Giffimldheet*, *Mundheet* & *Rostfrjheet* à liberalitate nomen habere: Verisimilitèr, quòd libero atq; ingenuo homine, *Ut Plutarch ait* (Libertate etiam Christiana gaudente) sit dignissima: vel quòd à libero proficiscatur animo, prout *Seneca de vitâ beatâ* loquitur. Unde hujus virtutis commendatio haud vulgaris pullulat.

2. Estq; Liberalitas (Ut & huius descriptionem hoc loco repetimus) Virtus in acceptione & erogatione opum laudabilem mediocritatem observare docens. Duplex siquidem est liberalitatis actus; aliunde honestè accipere, quod alijs honestè dare possimus. Hinc dubium mox sese offert,

Et questio exoritur: 1. An Liberalitas etiam in accipiendo consistat, locum habeat & exerceatur?

3. Negativam hæc sequentes rationes suggerunt:

1. *Virtutis est agere non pati; Omnis siquidem virtutis laus in actione consistit; teste Cic. & ipsa experientia; Atqui dare, beneficijs afficere & cumulare actio est; affici verò cumulari & attingi donis (quod accipientis est; passionem dicit; E. dare virtutis est; non autem accipere.*

2. *Quod laudabilius est & benevolentiam, honorem & observantiam conciliat, id virtutis est; sicuti è contra: Quod illaudabilius, benevolentiam &c minuit, id vitij potius est. Siquidem contraria contrariorum consequentia. Atqui dare laudabilius est, benevolentiam honorem & observantiam conciliat; Accipere autem illaudabilius, benevolentiam, honorem & observantiam minuit. Nemo enim adeo laudat se depeculantem, spoliantem vel pedetentim denu-dantem: Eumve tanta benevolentia complectitur, honore & observantia profecquitur; quantâ benefactores & meccenates: juxta illud Ovi dij:*

*Munera crede mihi, placant hominesq; DEosq;
Placatur donis Jupiter ipse datis.*

E. Liberalitas in dando non accipiendo consistit. Et 3. Virtus versatur circa difficilia. Quod supra probatum & aliàs constat: Sed accipere difficile non est: Cum quilibet manus extendere, brachia expandere, saccumq; aperire & dona recipere possit. E. Accipere virtutis seu liberalitatis non est. 4. Deniq; ex abundanti etiam idem S. Pagina confirmat, Act. 20: 25. Bestius est dare quàm accipere.

4. Hisce & similibus tamen non obstantibus receptam definitionem tenemus, & Liberalitatem etiam in accipiendo quodammodo occupari & elucere de-

ferendum; idq; hifce fundamentis. 1. *Quicumq; actus aut labilem mediocritatem inter vitiosa extrema in excessu & defectu admittit, ille est virtutū capax & proinde virtutū objectum, in quo virtus elucere possit; Sed accipere opes sive divitiarū (Fortuna bona) est talis actus. E. Major prop: est manifestissima; cum id sit virtutis capax, quod est mediocritatis. Hâc quippe virtus exprimitur; Prout supra evictum fuit. Minor item, sive assumptio, vel cuivis ex vulgo patet; Potest enim aliquis nimium accipere ut alijs damno, sibi verò ipsi dedecori sit: Potest etiam parum accipere ut sibi & damnum & ignominiam accersat, alijs verò aut risum aut commiserationem moveat, imò potest quoq; decenter, licitè & honestè (Unde, quando, quantum,) & quomodo quis debet, accipere, ut nec alijs noceat; nec sibi ipsi desit. Quod certè virtuti, videlicet liberalitati (Alia quippe hic locum non habet) acceptum ferendum; ejusq; effectus hic agnoscendus erit.*

5. Præterea 2. *Sine quo actu liberalitas continuari (imò & exerceri) nequit, in eo etiam consistit atq; elucet & occupatur; Sed sine actu accipiendi, id est, nisi etiam accipiatur, Liberalitas non exerceri nedum continuari potest; E. in eodem actu accipiendi scilicet, sive ἐν τῷ λαβεῖν Liberalitas etiam consistit, elucet atq; occupatur. Major tam clara est ut ne declarationem quidem, nedum probationem requirat. Neq; Minor obscurior est: quomodo enim cursu liberalitatem quis continuare poterit & perpetuò dare, nisi aliundè interdum accipiat. Hoc certè non ullius est hominis, etiamsi ditissimi: Sed solius Dei, cujus fontes inexhausti. Quinimo ne sermo quidem liberalitas exerceri potest & honestè aliquid dari nisi sit qui datum accipiat.*

6. Unde & 3. *Qui omnes accipientes damnat liberalitatem rectè & honestâ intentione exercere nequit: Sed qui virtutem seu liberalitatem etiam in accipiendo sese exserere negat, omnes accipientes damnat, tanquam nihil virtuosè in accipiendo præstantes: Et, virtutem seu liberalitatem etiam in accipiendo sese exserere negantes, liberalitatem rectè & honestâ intentione exercere nequeunt.* Prop: Maj: etiam hic propriâ luce radiat: Qui enim omnes accipientes improbat & damnat, tanquam nihil virtuosè præstantes; honestâ ijsdem intentione dona obtrudere non potest: Quæ vix honestè accipi iudicat. Sin autem honestè accipiuntur; tum etiam virtuosè. Nam ubi honestas ibi etiam virtus. Si virtus; Ergo aut liberalitas; aut alia: Non alia; hæc siquidem sola cum suis subalternatis circa divitias in dando & accipiendo versatur; Ergò liberalitas. Quod erat probandum.

7. Adeoq; 4. Sic demum concluditur: Quod sanctissimi fecerunt, nec ullibi reprehensum aut in lege divinâ improbatum legimus; in eo virtus elucet: Sed sanctissimi etiam ab alijs acceperunt; nec id ullibi in sacris reprehensum aut improbatum &c Ergò. Major Prop. cum nullam habeat dubium; Minor sic confirmatur: *Ioseph à Pharaone annulum, Stulam Byssinam & torquem aureum, ut alia plurima reticeantur, accepit Gen. 41. v. 42. Mosè accepit oblationes populi & in sacros usus contulit. Exod. 35. Quin & DEUS ipse, licet nullius indigus, hostias sibi offerri voluit easq; accepit. David non modò panes propositionis & alia ab Abimelech accepit 1. Sam. 21. Verùm etiam panes, vinum, arietes &c ab Abigail suscepit 1. Reg. 25: 35. Daniel Propheta, munera multa & magna accepit*

à Nabuchodonosore. Et similia per plurima. Insu-
per & *Salvator* ipse ejusq; discipuli in hoc mundo cir-
cumambulantes beneficia accipere omninò non de-
tractarunt; quod multis locis probari potest. Bene-
ficia igitur rectè accipere, virtuosum esse, neq; à *Libera-
litate* alienum, sed eidem potius consentaneum est.

8. Ad contraria argumenta sup. *Theſi*, 3. posita, sic
brevisiter responderi potest. In *primo elenchi ignoratio-
nem*, ut dici solet, committi; ubi non opponenda op-
ponuntur. Hic namq; positio unius, non est exclu-
sio alterius. Videlicet, dare est actio; E. accipere
omnimodè & tantum est passio. *Non sequitur*. Quis
enim ignorat Tò accipere atq; esse verbum activum &
actionem denotare atq; vocem dare. *Minor* proinde
corrui. Et quamvis accipere beneficium, dantis re-
spectu, quatenus accipiens dono afficitur, *Passio* quæ-
dam dici possit; Unde *Passivum hospitem* vulgo dicimus
eum qui recto excipitur. *Mera tu. passio* non est & ab-
solutè: Sed etiam actio quædam in quâ virtus elucere
potest. Ut modò ostensum.

9. Ad *Secundum* uti & *quartum* resp. Laudabilius,
gratius & beatius quidem est dare, ideoq; & magis li-
beraliter in dando quàm accipiendo consistere;
Non autem ideò planè illaudabile, ingratum vel mise-
rum est accipere. Quod vel *Evangelica historia* docet
& evincit. Neq; enim illaudabile, ingratum regi in-
vitanti, aut miserum accipientibus fuit canam istam
magnam grato animo & debitâ cum præparatione ex-
cipere Matth. 22. Ut igitur laudabilius quidem est
gratius & beatius docere quàm doceri; juvare quàm
juvari &c. Discere tamen, & aliorum auxilium ex-

periri nec simpliciter illaudabile, nec ingratum nec miserum, sed potius beatum &c. est.

10. Ad *Tertium*: resp. in *minore prop*: esse fallaciam à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Accipere n. quatenus bona nostra non minuit sed auget; & si ipse accipiendi actus in genere consideratur, difficultatem quidem non habet: Atqui ita accipere ut virtutis præscriptum servetur; nec magis nec minus nec aliunde, ne alio tempore aut loco quàm par est; hoc opus hic labor est; Neq; ita cuius in proclivi situm.

11. Ad *Quartum* jam sup. *Thef.* 9. responsum est. Et præterea *Apostolus Paulus* citato loco verba salvatoris non contra quamvis acceptionem dirigit; sed contra intempestivam: cum scilicet ij qui manibus vel aliàs ipsi laborare possunt vidumq; acquirere, malunt tamen alienis inhiare & beneficia accipere quàm dare. Prout ex superioribus versiculis 33. & 34. manifestum evadit. Quinimo ipsemet justum, æquum & honestum esse asserit, ut qui in sacris operantur, ex sacrificio vivant; qui sacrario assistunt, unè cum sacrario partem accipiant 1. Cor. 9: 13. &c. Et tunc de illa questione.

12. Liberalitatis objectū internū est ipse divitiarum & mundanarū opū appetit⁹, q. hujus virtutis præscripto coercendus ac refrenand⁹ venit; prout in *Ergast. virtut. Thef.* 40. expositum est. Externum verò objectum, æq; latè patere cum objecto externo *Septimi Præcepti*; statui-mus. Ut nimirum non modò pecunias, oves, boves, aurum, argentum, cæteraq; mobilia & immobilia, agros, fundos, ædes, piscinas, flumina, & quæ sunt similia; Verùm etiam, emolumenta, usus, fructus & utilitates quasvis ex re alienà illicitè usurpare prohibi-tum sit.

13. Numne ergò quamvis illicitam acquisitionem & aliam rei usurpationem furium dicere liceat? Dubitari potest. Resp. paucis. Distingv. inter forum poli & forum soli. Illud si attendatur utiq; furtum est quicquid in septimum præceptum impingit: Ubi enim lex vel legislator ipse non distinxit, neq; nostrum erit distinctionem aliquam comminisci. At si hoc respiciatur, fatendum est non statim cum eo furti aliquem agere posse, qui fortè re alienâ abusus, aut proximum in contractu circumvenit, vel aliàs suum lucrum alteri cum detrimento quaesivit. Neq; tamen ejusmodi facta legibus civilibus probantur, sed aliud nomen inveniunt; Prout jura edocent. Est nihilominus & hic jus nostrum satis rigorosum, ut qui rem alienam quamvis, nisi contractus commodati vel locati præcesserit, usurpare præsumpserit, *Furti aut rapinae*, pro actoris lubitu alligari possit c. 53. Bygn. B. L. &c. Sed de his alibi.

14. Verùm cum Liberalitas etiam occupetur circa divitias & bona ista externa, cuiq; quantum par est elargiens; anne commodè ad justitiam referatur & sub eadem comprehendatur? Cicero. lib. 1. offic. Ubi liberalitatem, benignitatem & beneficentiam nominat, eandem ad justitiam reducit, ut hæc illam complectatur: hæc ob causas 1. Quemadmodum enim justitia erga alios exercetur; ita etiam liberalitas ad alios sese diffundit. 2. Velut justitia tantum cuiq; tribuit, quantum eidem secundum proportionem debetur: Ita & liberalitas unicuiq; pro dignitate & necessitate succurrit. Et 3. Sicuti omnis liberalis est justus; Ita vicissim omnis avarus seu illiberalis est injustus; Unde concludit liberalitatem sub justitia optimè collocari posse.

15. Sed

15. Sed Resp. In hisce quidem convenientiam haud exiguam cerni, potissimum quatenus circa pecunias utraq; versatur & bona externa: Atq; sic, praesertim ubi *Vox justitiae* ampliatur, *Liberalitas* sub eadem comprehendi potest. Verumtamen cum dilatatio ejusmodi confusionem pariat, distinctam hanc virtutem ponimus & peculiarem eidem locum assignamus. Justitia enim circa contractus occupatur; Liberalitas non item: Aliud enim vendere est, aut commodare vel locare; aliud donare. Praeterea in justitia cernitur *Mens & premium*; *Delictum & Pœna*.. Hic potissimum *hilaris animus & bona intentio* in donatore spectatur, etiamsi nulla praecesserint donatarij merita vel unquam etiam de cetero sint expectanda. Sed hic etiam nos tritum illud recordamur: *In lente unguentum*: *Nimium enim altercando veritas amittitur*.

16. Quæri hic etiam solet: *An qui multa dat liberalior sit eo, qui pauca dat?* Ita quidem videtur ex hac ratione; Sicut is, qui multa portat robustior est eo, qui pauca ferre valet: Ita etiam qui multa donat liberalior est eo qui pauca; & sic liberalitas ex doni magnitudine judicanda erit.

17. At Respond: 1. in genere. *A similibus infirma duci argumenta*; Cum omnis similitudo claudicet; Ut est in Proverbio: *Est omne simile etiam sit dissimile*. 2 Unde & in specie dissimilitudo sic ostenditur. In bajulante, levante vel portante multa, robur tantummodo attenditur, non animus; num libenter, sponte vel invitus, iratus an hilaris id faciat? In eo autem, qui liberalitatem exercet, non tam ipsum factum, quam animus donantis respicitur. Ita CHRISTUS ait Marci 12: 43. de vidua, quæ duo minuta seu quadrantem in-

Gazophylacium misit; Amen dico vobis quod vidua hæc pauper
plurimam quam omnes qui miserunt in Gazophylacium &c.

18. Huic etiam cognata est quaestio: *Utrums libera-
lioress dicendi sint ij, qui divitias proprio sudore comparaverunt,
ex quibus largiuntur, his, qui ab alijs partes donant?* Resp.
Quamquam *Arist. Lib. 4. Ethic. c. 1.* Liberaliores esse
defendat eos, qui de acquisitis quam hereditarijs vel
aliunde acceptis donant atq; impendunt; quod & alij
tuentur: Parum tamen interesse videtur, unde & quo-
modo (si modò honestè & legitime) acquisiverit;
dummodò debite & ad virtutis præscriptum impendat,
elargiatur & acquisitis utatur. Multi enim reperiu-
tur qui aliunde acceptas divitias non minus rectè æsti-
mare & ritè collocare noverunt; quam ij ipsi, qui suis
laboribus collegerunt. Et sic facile ista quaestio deciditur.

19. *Anne etiam qui de alieno largitur liberalis dici possit?*
hic in quaestionem venire solet. Respondetur 1. Li-
beralem dici aut *vulgariter, aut accuratè: Accuratè, pro-
priè & primariò liberalis est & dicitur, q. de suo liberalis est;*
Vulgariter verò, minò propriè & secundariò etià q. de alieno.
Ita liberalè dicimus paranympum Vel ARCHITRICLINUM, qui nomine
Patrisfamilias hospites liberaliter tractat. 2. Qui ex alieno do-
nat, aut eorum ex quibus donavit rationem reddere te-
netur; Ut *Tutores, Dispensatores & similes;* Aut nulli
ex amici & rationis redditione sese obstrictum existi-
mat, Hic minimè; ille autem non adeò absurdè li-
beralis dici meretur. Quatenus id quod principalis
nolit, ipse liberali animo supplere paratus est.

20. Commodum hic sese offert quaestio; *Anne igi-
tur omnibus, præsertim pauperibus & mendicantibus, indiscrimi-
natis dandum?* Spinosa hæc est controversia & in-
utramq; partem multis exaggerari potest: Paucis tamè

ita decidi: Aliud *Legi. Bod'icior*, summum jus & poli-
tice rationes imperant; aliud *sententia*, humanitas &
Theologica monita svadent. Politicè enim mendican-
tes validi ne dicam improbi, non modò alendi ac su-
stentandi non sunt; sed etiam Rep. ejiciendi; ut Virg.
in Georg: exemplo apum monet.

Ignarum fucos pecus à præsepibus arcent.

Unde & Camerar: in hor: success: part: 1. c. 16.
TRIA hominum genera, è civitate ejicienda esse inquit; leprosos, mor-
tuos, & validos medicantes. Quapropter & clementissimus
noster magistratus non minori curæ esse sibi semp ostē-
dit, ut indignis ejusmodi mendicantibus, apibus pesti-
feris, qui alienam industriam consumunt; Resp. exo-
neretur, atq; ut dignis & miserabilibus personis pro-
spiciatur. Quod varia Comit: Decret, satis superq;
edocent.

21. Humanitatem tamen & leniorem sententiam
monitaq; theologica si respiciamus, hisce etiam leva-
men aliquod deberi videtur, sed ita ne in malitia cor-
roborentur; Siquidem *CHRISTUS* ipse Luc. 6. omni
abs te petenti tribue inquit. Et *Arist.* aliquando re-
prehensus quòd extremè malo elemosynam dedisset;
se se excusavit, inquires, *Non homini, sed humanitati*, i. e.
sorti seu conditioni humanæ tribui; quemadmodum
græcè aptius quadrat. Ita *Rambertus Bremens. Episc.* re-
ferente Alb. Crantzio; Non est hæsitandum, ait, eunctis sub-
venire pauperibus; Quia in quo sit *CHRISTUS* & quando ad nos venit
ignoramus. Quò etiam facit Jur: Can: cap. 2. Dist. 42. in fin.

22. Concluditur itaq; hoc dubium ita: Duob⁹
quidem modis hic circa liberalitatis exercitium aliquè
hallucinari posse; Dando scilicet cum indignis da-
tur; & non dando, quando dignis & ijs quibus par erat
nihil

nihil confertur. Gravior tamen lapsus est & ægri-
ori fert animo liberalis si dignum præterierit, quam si
indignum elemosynâ cumulaverit. Quatenus verò
in qui pauperibus benefacit ipsi CHRISTO benefaciat, theolo-
gis declarandum relinquimus. Et c. 25. Matth. in-
nuitur. Eo videlicet respectu quo CHRISTUS est ca-
put suæ Ecclesiæ & pije ejusdem corporis membra.

23. Tandem, ut *Liberalitatis* natura exactiùs per-
noscat discutiendū venit; *Anne E. omnū dator liberalis
censendus?* Neg. Quemadmodum enim non omnis,
qui accipit vitiosus statim est & *Avaritiæ* maculâ notan-
dus; ita nec omnis, qui dat liberalis statim censendus
erit, sed profusus potius & *Prodigalitati* labi obnoxius
sæpè invenitur. Hæc duo namq; sunt avia & extre-
ma utrinq; juxta hujus virtutis exercitium percaven-
da.

24. Est autem *Prodigalitas* visium *Liberalitati* opposi-
tum, quo in dando modus exceditur; Aliàs profusio dici-
tur. Quæ etiam varijs committitur modis, vel *ratis-
ne quantitatis*, quando plus profunditur quàm par est;
vel *ratione temporis*, cum incongruo tempore sumptus
fiunt, vel *ratione loci*. Nicol. Hunnius p. m. in Disp.
Ethic. mentionem etiam inijcit metaphoricæ cujusdam
prodigalitatæ quorundam concionatorum, qui è sug-
gestu coram plebe exotica, græca, hebræa & c.
(Et veluti quis apud nos germanica immiscere vellet, quasi v. enacula non sint
facis emphatica.) effundit. Quo etiam refert eos, qui
portentosam adhibent prodigalitatem, in citandis ter-
tio quolibet verbo Cap: & versic. Sed hæc aliorum
judicio ac censuræ relinquimus.

25. Prodigalitas illa propriè dicta, vel *simplex* est,
quæ dando saltem modum excedit, cæbitam persona-

rum aliarumq; circumstantiarum rationem non habet; vel *Mixta* cum alio scilicet vitio opposito; qualis est eorum, qui non modò in erogando peccat & nimij sunt; Verùm etiam in accipiendo injusti inveniuntur; Dum undecunq; sumunt, honestè ne an inhonestè nihil pensi habentes; dum modo non desit quod profundant.

36. *Avaritia vicissim est vitium liberalitati oppositum, quo vel in accipiendo modò exceditur, vel dando in defectu peccatur: vel utroq; modo, & accipiendo nimium, scilicet, & parùm vel nihil dando delinquitur.* Unde & tria avarorum genera constitui solent. 1. *Turpis lucris cupidorum*, qui accipiendo tantùm peccant, ut leones; meretrices, fures, raptores, iniqui & mordaces feneratoros.

Qui autem omnes pro usu pecunie unde proximus etiam sublevatur, aliquid accipientes absolute & simpliciter damnant, viderint ipsi quomodo conscientiam consulant? cum OIKODOMEN Ecclesiæ uq; inturbet, in qui aliquid temerè damnat, & ex eo, quod non per se est peccatum sed res indifferens, inconsideratè peccatum facit, atq; ille, qui peccata manifestè iusto fervore Zeli non audet reprehendere. Verba sunt Doct. Joh. Forsteri Decad. 3. Problem. 2. Thef. 129. Viderint ipsi quid CHRISTO & Apostolis respondeant, qui usuras nusquam in N. T. disertè prohibuerunt, prout doctissime notat & evincit doctissimus Salmas. de usur. cap. 20. & passim de Trapezitic. fænor. qui omninò videtur, ubi & patribus & recentioribus satisfacit. Viderint ipsi quid magistratui, qui ll. b. quandam usuram stabilis; Viderint quid iudicibus quotidie in foro iustas & legitimas usuras approbantibus regerant; si ll. civilis forte aut reformare presumunt.

Ast hisce nihil addimus; judicent cordati. Nobis autem de ijs non est sermo, qui iniquas usuras & feneratoros mordaces iusto Zelo taxant; Sed tantùm de ijs qui præpostero Zelo urgentur, nec ipsi quòd sit legitimus contractus, & quid sit; cum Jctis & gravissimis nonnullis Theologis satis assequuntur.

37. Deinde 2. avari dicuntur *senaces sordidi & eminifectores*, ubi vocat *Arist.*, qui etsi in accipiendo

modum servent, in dando tamen deficiunt. Et 3.
Qui simul & undecunq; accipiunt corradunt, rapiunt,
profundunt, abliguriunt &c; qui proinde etiam deterri-
mi existunt.

28. Ex istis autem vitijs si deniq; queratur: *Utrum deterius, prodigalitas ne an avaritia?* Resp: Avaritiam simplici prodigalitati esse pejorem: Cum quod prodigus multis profit, etiam si sibi ipsi noceat, unde & *αζωτος* dicitur; Avarus autem nemini, ne quidem sibi ipsi, est utilis quam diu vivit. Tum quod prodigalitati vitium facilius sanetur ac tollatur, vel ubi anni accreverint; Nam hoc vitium adolescentie & juventuti est familiarius, quæ res & rerum usum nondum aestimare novit; Vel ubi deficit quod profundatur. Sic etiam filius iste prodigus in *Histor: Evang* ad meliorem frugem redijt. Et hæc de Liberalitate ainsq; opposita.

29. **MAGNIFICENTIA**, quæ gradu potius quàm specie ab eadē differt; Ubicunq; n. *idem objectum* tam quoad materiale quàm quoad formale, ibi speciei diversitas inter virtutes esse nō potest: Sed Liberalitas & Magnificencia idem habent objectum &c. I. Specifica inter eos non est differentia, sed saltem secundum magis & minus. *Major* a nemine negatur. *Minor* Prob. Est idem objectum quoad materiale, *Pecunia felicitatis sumptus*; quod neq; quisquam negat; Est & idem quoad formale, nimirum ut decorum, honestatis & rectæ rationis præscriptam circa sumptus faciendos servetur, ibi minores & mediores, hic magnos. *Quod graduale saltem etiã importare discrimen & secundum magis & minus satis est manifestum.*

30. Definitur itaq;: *virtus moralis in magnis sumptibus*
debitam

debitam mediocritatem servare docens. Ubi nulla nova specificata differentia innotuit, sed ad superiorem saltem gradum ascenditur. Nam omnis magnificus est etiam liberalis seu liberalitate præditus; ab inferioribus enim ad superiora, duce naturâ, quæ saltum non facit, progressus fieri solet. Finis etiam ubiq; idem: alijs prodesse & honestatis gratia sumptus facere.

31. Opposita Magnificentia sunt 1. *Luxuria* & imperitia decori, quando magni sumptus, inutiliter inconsideratè & impertinenter collocantur; quod vitium à prodigalitate gradu saltem differre patet 2. *Sordiditas* cum quis in molimine majorum rerum, vel ubi magni sumptus requiruntur parcus nimis & tenax est, atq; ita operis splendori detrahitur; Ubi magna tenacitas adest & sic vicissim idem cum liberalitate extremum, gradu saltem observato.

32. *An verò etiam in plebejos & privatos magnificentia cadat?* hic quaeri solet. Resp. breviter; Plebei & privati aut divitijs pollent; aut pauperes sunt. De hisce si interrogas, respond. ipso effectu in eos non quadrare hanc virtutem: utut affectu illis competere possit. De illis autem si fuerit sermo, Resp. *Non omnimodè denegandam* videri. Quanquam enim negandum non sit dignitatem personæ ad operis magnificentiam quod suscipitur, haud parum facere: Interim tamen, nec dispendium est in ijs quæ semel aut rarò fiunt, ut *sumptibus vel convivijs* quibus Magistratus aut magnates excipiuntur, magnificentiam vel à plebejo declarari posse. Et si plebejus, magnificum templum vel simile quod cum consensu superiorum, quorum interest, in honorem DEI extruxerit, quod huic magnificentia jure denegaverit?

Atq; ita fuerunt præcipue controversiæ, quæ in hac

materia agitari solent.

COROL.

COROLLAR: HISTORIC:

Johannes Magnus non sine
ratione Gothos ac Svecos ex
Magogo Japheti filio dedu-

cit. Lib. 1. Hist. Gothorum Sveonumq; cap. 4. Nam
1. ipse *Flavius Josephus* de antiquit: lib. 1. cap. 7. Mago-
gum Noachi ex filio Japheto (cui septem fuerunt nati)
nepotem magogensib., quos græci Schytas vocarunt,
originem dedisse tradit. *Schytas* autem Europæos sci-
licet; (alii enim etiam Asiatici fuerunt) Sveonas Go-
thosq; & iam dictos esse in confesso est. Ita n. *Jac. Ber-
gom:* in suppl. Chron: ait; Magogæ gentes à græcis
Schytæ appellatæ sunt, à quibus *Schytia* & *Gothia* nomen
habuerunt. 2. *Ericus pomeranus Daniæ R. & Histo-
riographus,* mox in initio, inquit; Dani, ut testantur veteres
Historiographi, tempore *Saruch* proavi *Abrahæ,* regnum quod
nunc *Dania* dicitur intraverunt, venientes de *Gothiâ.* Quis
quidem *GOTH,* ut dicit *Papias,* de *Gog* filio *Japhet* orti sunt.
3. Non tantum ex *Papiâ,* verum etiam *Hieronymo* idem
probatur; citante *Jonâ Koldingensi* in descript: *Daniæ,*
his verbis: *Japheto* natus est è *Flivâ* uxore (ut quidam vo-
lunt) filius *Magog* qui annos discretionis egressus, aliquanto
post diluvium tempore, circa *Danubium* suis cohabitans vel ut
alii volunt, *Mæotidâs* paludes incolens (ubi principium *Europa*
statuitur) gentem procreavit *Gothicam,* appellatione ab ul-

omnī syllabā sui nominis petitiā insignitam, Authore Papiacum Hieronymo. Plura nunc brevitatis causā non adducimus; Cum ex hisce satis constet deductionem istam, *Iobannē M.* figmentum non esse nec ab ejus cerebro enatam aut nugacem prorsus, prout acerbè nimis, sine ullā tu. gravi ratione Philipp. Nicol. Comment: de ant. reb. germ. lib. 1. & passim, invenitur. Quam malè igitur Micrelius lib. 1. Sect. 2. q. 3: Johannem M. nullā sat firmā ratione adductā reprehendat satis patet. Quod fusiùs deducere pagella nunc vetat.

II.

Gothi primitivè è Scandinaviā egressi; non circa vistulam orti sunt. Hoc asserit Cluverius in suā *Germaniā antiquā*, non uno saltem loco; Sed solidè refutatur à contrarium & superius illud defendente *Job. Isacio Pontano* in *Chorograph. Dan: descript.* p. 678. qui, brevitatis causā, videatur. Hic enim apud nos solū veram & stabilem Ostro-Gothorum ac Vestro-Gothorum Patriam agnoscimus.
Juxta Cap. 1. jur. Provinc. tit. de jur. reg.





COLLEGI ETHICI
DISPUTATIO NONA

D

MODESTIA ET MAGNA-
NIMITATE

Respondente JACOBO JOHANNIS VVALSTEMIO,

THESIS I.

DE Virtutibus Ethicis Septimum Præceptum
Ipestantibus *Proximâ* Disputatione actum fuit; Se-
quuntur nunc quæ *Octavum* in Decalogo mandatum
respiciunt. Ubi non tantummodò *Falsum testi-*
monium contra proximum loqui prohibemur; Ve-
rùm etiam *nostro nos ipsos pede ac modulo*, ut dicitur, *metiri*
nihilq; præposterè de nobis ipsis sentire, judicare aut
proferre jubemur. Unde virtus *Ethica*, quæ *Modestia*
appellatur, Succrescit.

2. MODESTIA, à modo seu moderatione latinis
denominationem habet. Juxta illud *Horat.*

Omnibus in rebus modus est pulcherrima virtus.

Apud Græcos ut & Syecos proprio nomine defuitur. Estq; vox am-
bigua; Aut enim 1. *Generalitèr* pro continentia &
quavis cupiditatum moderatione sumitur; Ut *Ciceroni*
Lib. 3. ad Heren. Aut 2. pro *εὐταξία* & bona coor-
tinatione; Ut eidem, *Cice. lib. 1. Offic.* Aut 3. *speci. l'us*
pro teo perantiâ; Ut *Cic. Lib. 3. Tusq; quæst. accipit.*

A

Aut

Aut deniq; 4. *Pro virtute honorum cupiditatem moderante;* Quæ hujus est loci. Aliàs *legitimum honoris studium* dici potest: Sicut Græcis *νεορρηξικὸς, φλοριεὶα καὶ ἀφελοριεὶα* etiam dici posse videtur; Quæquam utraq; hæc vox tam in malam quàm in bonam partem accipi solet.

3. Est verò **MOIESTIA**, prout hic sumitur, *Virtus mediocritatem servare docens, in minoribus honoribus appetendis, fruendis vel fugiendis.* Ubi 2plex vicissim hujus virtutis actus inuitur, appetere aut fugere honores; Et *Objectum* 2plex, *Internum* ipse honorum appetitus; Et *Externum*, mediocres scilicet honores.

4. Mox igitur hic in initio quæritur 1. *An honores appetere liceat?* Resp. *Affirm.* Quatenus scilicet honor est virtutis præmium viro bono à congruente ejusdem iudice collatū, ut virtus ejus refulgeat, cæteri q; hujus exemplo ad virtutem excitentur. *Premium virtutū dicitur Honor;* non quod propter solum honorem illa colenda sit; vel quod tam lubrica & inconstanti re metienda; Sed quod inter bona externa, nihil honore majus aut sublimius inveniatur, quo homines virtutem remunerari queant.

5. Sed obijci tamen multa possunt, quæ honores minimè expetendos, imò ne oblatos quidem acceptandos svadere videntur. 1. *Rei ipsius inconstantia & mutabilitas, quippe cum honor ex alterius arbitrio dependeat.* Neq; enim quisquam honorari potest, nisi alius sit qui ipsam honoret. 2. *Exempla priscorum Philosophorum;* Utpote *Diogenis Cynici & similiarum.* Qui nec honorem nec aliud quippiam ab *Alexandro M.* petere aut expectare dignatus est. Et 3. vel maximè monita & exempla *Sacre Scripturæ;* Utpote illud *Syracidi 3. v. 19.* In manifestitudine operæ tuæ perfice &c. Quod etiam Sancti factis comprobarent. Quemadmodum. *Salvator ipse* cum turba

turba voluit ipsi honorem conferre & ad regiam digni-
tatem evehere, secessit; neq; ejusmodi honores acce-
ptare sustinuit.

6. Verum respond. 1. *In genere distingvendo inter
verum honorem*, qui ex virtute fluit; Immo eandem p-
petuò committatur non secus atq; corpus umbra; Et
fuscum, vanum & fundamento carentem: Is licitè & ho-
neste expeditur, hic verò non item. *Conf. fasci. quest.
Eth. Sect. 1. memb. 2. q. 7. & Ergast. virtutum The. 43. 2.
Disting.* inter *appetitum ordinatum*, qui per legitima media
sele exerit; nimirum ne quis immeritos & sibi minime
congruentes honores appetat: Et *Inordinatum*, quo,
nulla habitâ meritorum ratione, alijs præferri & hono-
rari, (Quod plus quàm nimium frequens;) desiderat. Hic vi-
tiosus & noxius; Ille haudquaquam damnandus.
Adde Fascicul. quest. Eth. Sect. 2. memb. 7. q. 8.

7. In Specie autem respond. ad *argumentum pri-
mum*, distingvendo inter *honorem internum & fundamenta-
lem seu meriti*, uti vocatur, *Sup. cit. q. 7. & honorem exter-
num, signi seu consequentem*. Hic mutabilis est ex alio-
rum eundem exhibentium nutu dependet & non sem-
per ex merito confertur; Ille verò constans est, & à
fundamento suo nunquam avellitur. Quemadmo-
dum enim *Philosophus ille*, Cuidam se convitiis & ignominia on-
eranti pulchrè non minus quàm cordate dixit; Etiam si tu me contemnas,
ego tamen non contemnor. Ita etiam *homo virtute præstans in se
honoratus est & honorem habet, etiam si nemo mortalium eundem
externè honoret*. Fraterea nec omne quod mutabile
& inconstans est, mox fugiendum & abijciendum.
Multa etenim donorum DEi, utpotè *Sanitas, pulchritudo
divitiæ &c.* Fluxa sunt, caduca sunt, momentanea sunt.

Eadem tamen moderatè expetere, iisdemq; licitè frui sine vitio possumus, ut supra probatum.

8. *Veterum Philosophorum exempla*, quod concernit, Neq; omnium eadem de honore fuit opinio. Quin & illi ipsi qui honorem maximè averfari videri voluerunt, eundem fugiendo, laudem & honorem aucupati sunt. Nequis enim non meritò averfabitur istam, Diogenis arrogantiam, qui tanto Regi ne assurgere quidem dignatus, Ut se majori quàm ipsum honore dignum ostenderet? Non itaq; tam respiciendum quid ab antiquis istis factum sit, quàm quid fieri debuerit. Huc facit etiam, *Testimonium Poëta, de moribus antiquis*.

Credebant hoc grande nefas & morte piandum.

Si Juvénis vetulo non assurrexerit, &c.

9. Ad 3tium Respond. loq. *Scripturam* de præposterâ, vanorum honorum cupiditate & ambitione: Quo faciunt distinctiones Supra allatæ. Exemplis verò *exempla* opponimus; *Samuelis, Davidis, Salomonis* aliorumq; piorum *Regum & Heroum*, qui summos etiam honores legitimâ adire viâ non detrectarunt. *Salvator autem CHRISTUS* ideò honorem & regnum mundanum aspernatus, quia regnum istius non fuit de hoc mundo. Quod si fuisset, minimè abnuisset. Imò honorem & titulum regis (Sed alio sensu) coràm Pilato minimè reiecit. Joh. 18. v. 34. & seq.

10. Nos igitur honorem tanquam 1. 4to *Præcepto* ab ipso DEO mandatum alijsq; scripturæ locis inculcatum & injunctum, Syrach. 3. &c. 2. *Virtutis calear*; Et 3. *Boni ordinis* in repub; *vinculum* minimè negligendum; Sed ad eundem cuilibet in suâ vocatione, debitâ tamen cum modestiâ, anhelandum putamus. Ne cum Anabaptistis & eius fursur. hominibus, omnes æquales, omnes inglorii esse affectemus.

11. Sed dum hic de honoribus agitur; *Quæstio etiam inseri solet, de Academicis. An & illi admittendi conferendi & acceptandi?* Hic iterum Phanatici homines cum *Carolo studio* insurgunt; Omnes Academicos honores, *Magisterij, Doctoratus, Baccalaureatus & similes titulos* planè damnandos & reiciendos esse clamitantes. 1. Omnes, inquit in CHRISTO fratres sumus Ergò nullus ejusmodi gradibus vel honoribus locus relinquendus erit. 2. Tituli & gradus consimiles vel ab Ethnicis, vel à Pontificijs introducti. E. non sunt inter Christianos, & verè orthodoxos, frequentandi. Et 3, quod maximum est; ipse SALVATOR prohibuit; *Ne sui Discipuli, RABBI aut Magistros se salutare permitterent,* Matth. 25. v. 8.

12. Hisce tamen nihil obstantibus laudabiliter receptam & frequentatam consuetudinem, non modò in nostrâ Patriâ, verùm etiam in alijs orthodoxis regionibus, defendere conabimur. Ad ratiunculas igitur objectas, sic respond: in primâ nullam esse consequentiam; Sumus omnes in CHRISTO Fratres; Ergò nulli erunt honorum gradus. Nihil enim vel à naturâ, vel à lege divinâ magis alienum excogitari potest, quam honorum, imperij & fortunarum exæquatio, ut rectè loquitur *Bodinus de Rep: lib: 6. c. 4.* Nam & ipse CHRISTUS, alios Evangelistas, alios Apostolos, alios Doctores constituit. Eph. 4. v. 11. 1. Cor, 12. v. 28. Nihil obstante quod omnes fratres simus.

13. In 2dâ etiam eadem ASYLLOGISTIA deprehenditur. Non enim tam intuendum quis aliquid introduxerit & usurpaverit, quàm quid sit, quos usus ac utilitates habeat; Et quo jure frequentari possit. Aliàs enim plurimæ artes, aliâq; vitæ commodè degendæ subsidia relinquenda & abijcienda essent.

14. *Tertium argumentum plus roboris habere videtur.* Nihilominus tamen & ad hoc ex supra citatis facile responderi potest. Nimirum Salvatorem CHRISTUM non de quibusvis honoribus ac titulis loqui, Sed de illis qui ex mera ambitione & præposterè affectantur. Responſionem hæc divinatoriam non esse, arguunt præcedentia in eodem capite 23. Matth. v. 5. 6. & 7. dilatant (Pharisei scilicet fastuosi) Phylacteria; magnificent simbras palliorum suorum, amantq; primos accubitus in cœnis & primo Sedere locum in consiliis. Non id agunt ut digni sint primis sedibus & deinde legitime vocentur, sed ipsi superciliosè affectant seseq; obtrudunt. Ita Rabbis Magistros vocari prohibet CHRISTUS, confirmant itidem sequentia; versu n. 9. *Patrem vocari vetat:* quod tamen simpliciter vetitum non esse, vel quantum Decalogi Præceptum evincit. Fallit itaq; argumentum cum ea quæ comparatè dicuntur, simpliciter accipit. Præterquam quod fallacia etiam compositionis ac divisionis deprehenditur; Quatenus conjungenda disjunguntur. Et textus mutilatè (ut solet spiritus mendacii) citatur. *Quod si igitur plene conferatur, assertioni nostræ nihil adversabitur.*

15. Non incommode, aut injuria hæc etiam 3. quaeritur. *An quis honorem suum ipsemet honestè asserere et proprias laudes interdum sine vitio allegare possit?* Quod quidem initio simpliciter negandum videtur. 1. Cum non tantum Sapiens Ethnicus, Cato, pulchrè dixerit.

Nec te collaudes nec te culpaveris ipse.

Hoc faciunt stulti quos gloria vexat inanis.

Undè & tritum Proverbium receptum est; *Propria laus in ore sordet.* Verum etiã 2. Sacra Pagina proprias laudes & gloriam inhibet, Jerem. 9. v. 3. I. Cor. 4. & passim.

Et 3.

Et 3. demiq; Salvator ipse suam se gloriam non quærere
dissectè proficitur. Joh. 8. v. 50.

16. Quæ quanquam omnia sint verissima; certo
tamen respectu aliquem etiam seipsum, honestè laudare
posse, haud absurdum videtur. 1. Ut non seipsum prima-
riè laudet, at saltem consequenter; Ante omnia verò cor-
lectis. Pater glorificetur, cum lux nostra lucet hominibus. Matth.
5. v. 16. 2. Si quis non jactandi, sed calumnie refellende ani-
mo, suam innocentiam parteiq; officij ritè gestas attin-
get. Quod & ipse Salvator multoties fecerat. Qui
etiam ad excitandam gratitudinem, simile virtutis studium in
alijs, vel etiam aliorum in nos beneficentiam exaggerando,
Quæ proprias laudes involvunt, nonnunquam etiam
deferre, absonum non videtur. Exempla non tantum
in ipso CHRISO. verum etiam in Salomone, Ecclè; 1. & 2.
capitibus, ubi se omnium Regum sapientissimum proficitur,
Et Paulo Apostolo, 2. Cor. iii. & c.

17. Superiora igitur argumenta, de intempestivis laudi-
bus proprijs in Th. 15. Hæc autem in Th. 16. proxima, de
tempestivâ modestiæ prudenti earundem allegatione sunt
intelligenda. Quæ circumstantiæ si ritè observatæ
fuerint, vitium & invidiam facile evitabunt.

18. Patet itaq; ex jam allatis non omnium hono-
rum ac laudum contemptum probandum aut laudan-
dum. Ut autem clariùs elucescat, quomodo circa
honoris appetitum mediocritas commodè servari pos-
sit: Duo potissimum probe notanda; Prius, ne ex alijs rebus
vel actionibus, honorem aut laudem exspectemus ac recipiamus,
quàm ex ijs, quæ revera honorabiles & laude dignæ sunt; Ut potè
ex ipsa virtute, rep: bene administratâ, vel aliâ bello aut pace re bene gestâ
bonarum artium studiis, vel similibus honestis & præclaris actionibus quæ
laudem iure merentur. Posteris in modo consistit, ne illegitimâ viâ
laudes

laudes venemur aut honores ambiamus videlicet, ne fraudibus, dolo malo, largitionibus, aliorum detrectatione, laudem & honorem nobis fœnerari conemur, quod subdolorum est, nedum violentiâ & crudelitate, quod Tyrannorum est, metum alijs incutiendo, honoris arcem invadere, tentemus. Neq; etiam de adeptis honoribus nimium nobis placeamus, exultemus aliosq; contemnamus.

19. Duo proinde & hic vitia utrinq; opposita esse constat: Alterum in excessu quod Ambitio dicitur; Alterum in defectu, quod proprio nomine carens, nimia animi demissio & nimius honorum contemptus appellari potest.

20. Ambitio est vitium modestiæ in excessu oppositum, quo quis vel majores ambit honores quam aut sua virtus exigit, aut æquitas vel præsens temporum conditio permittit; Vel meritos licet sibiq; haud in congruos honores, nimis tamen cupidè ac immodestè persequitur. Huic affines sunt præsumptio, quâ ea quæ non insunt, vel etiam majora quam revera insunt, nobis vendicamus; quæ ambitionem gignit; Atq; superbia, quâ alios alto supercilio despiciamus, quæ ex ambitione nascitur.

21. Nimia animi demissio, seu nimius honorum contemptus est vitium Modestiæ in defectu oppositum, quo omnem honorum cupiditatem abijcimus, imò ne debitos quidem ambimus: Ultra autem oblatos vel planè repudiamus vel ægrè admittimus, indiligentè gerimus, & nullâ prorsus curâ custodimus.

22. Quæri hic poterit. 5. Utrum istorum vitiorum turpius atq; nocentiùs sit? R. Quanquam omne vitium turpe ac nocivum esse, extra dubium sit; Ideoq; & hæcæ ambo: Ambitionem tamen, honorum contemptu ac demissione deteriozem, turpioremq; esse, ideoq; magis vitandam

dam hisce rationibus concludi potest. 1. Vitium quod Diabolo similiores reddit illud est tetrius atq; nocentius; Sed Ambitio homines Diabolo similiores reddit. E. Major est clara, Minor probatur, Diabolus n. Spiritus superbus est; & propter superbiam è cælo deturbatus creditur, nunquam autem demissione & honoris contemptu peccasse legitur. 2. Vitium quò est frequentius eò magis fugiendum; Sed ambitio atq; superbia, demissione & contemptu honorum est frequentior. E. magis est fugienda: εὐδύλον. 3. Illud vitium quod magis publica utilitati & reipub: officis plus fugiendum & ab illo magis declinandum; Sed Ambitio magis &c. E. Major est manifesta.

23. Contra min; si regeratur; Honorum contemptum & animi demissionem, magis nocere reipub: Cum per eam usnà cum honoribus munia etiam publica negligantur, atq; sic salus reipub: detrimentum sentiat. Resp: Nō sequitur, & si unus vel alter demissione animi à publicis munijs retardetur; Longè plures tamen inveniuntur, qui sponte sese obtrudent. Damnosius autem longè est, si ambitiosi licet inepti, admittantur, quàm si demissi aliquos posthabeantur; Alij tamen non minus idonei substituantur. Hinc 3. firmissimè concluditur; Illud vitium quod plures habet in Sacris prohibitiones & comminationes; & cui DEus ipse peculiaritè resistere dicitur; est turpius, periculosius & damnosius eo de quo talia non inveniuntur. Sed ambitio atq; superbia plures habet in Sacris prohibitiones, Psalm. 113. & Psalm. 131. Proverb. 16. & 29. Syr. 3. Matth. 11. & 10. 1. Pet. 5. &c. quæ in Sacris videntur.

24. Hæc de Modestia, hâc vice posita sufficient, Anne enim honores in reipub: debeant esse æquales? Qui & quales conferendi? Ad politicam pertinet discutere.

Sicuti etiam; *An quis propter cognatorum vel amicorum in
familiam gravandus aut honore privandus?* Quæstio juridi-
co-politica est. Unde hæc cum similibus suo foro res-
servamus. Et ad *Magnanimitatis* considerationem re-
ctâ nos conferimus.

25. Hic primitus quæri solet *An Magnanimitas sit
virtus.* Negativam tuentes, tali discursu insurgere pos-
sunt: *Nulla virtus Ethica alijs virtutibus, nedum verbo DEI,
est adversa; Sed Magnanimitas alijs virtutibus; Adeoq; &
verbo Dei est adversa.* E. non est virtus Ethica. Major
Probatione non eget: Cum certum sit omnes virtutes
quasi sororio vinculo in honestate combinari & ami-
cissimè conspirare. Minoris prius membrum facilè sta-
bilitur; *Humilitas* quippè est virtus Ethica, quæ alijs se
potius submittere, quàm alios contemnere docet; *Magnanimitas*
autem se magnis dignum judicare alijsq; mi-
nores contemnere jubet; Uti postea patebit. *Posteri-
us* membrum ex supra allatis *Scripturæ* dictis & similibus,
quæ humilitatem svadent, magnos verò animos res-
retundunt, satis corroboratur.

26. Huic accedit & alia ratio. 2. Nimirum quod
omnis virtus moralis in mediocritate consistat. Sup. Disp. 3.
Th. 6. Atqui *Magnanimitas non in mediocritate sed potius
in summitate consistit;* Omnia magna non mediocria,
spectans; Ut infra clariùs docebitur. E. *Magnanimitas
non est virtus.*

27. Contrarium nihilominus tamen rectè defen-
ditur; Et *Magnanimitatem esse virtutem Ethicam esse-
ritur.* Ad Opposita igitur taliter respondetur. 1. *Dis-
tinguendo inter Adversa seu Contraria qua reverà talia
sunt. Et Apparentèr. Humilitatem autem & Magnani-
mitatem apparenter saltem contraria esse vel hinc cons-*

stat. Quod vera contraria seu adversa eidem subjecto attribui nequeant, nisi se mutuo expellant, ita calor & frigus eidem simul, servatis oppositorum conditionibus, attribui nequeunt. Humilitas & Magnanimitas eidem subjecto attribui possunt, ita ut se mutuo non expellant; Quod exemplo *Mosis, Davidi & ipsius CHRISTI* est manifestum; qui magnanimi fuerunt & humiles. L. humilitas & magnanimitas vera adversa seu opposita non sunt.

28. Si quis inflet; Contrarios tamen esse actus sese humiliare & magnanimitate gerere. RESP: Diversum respectum tollere omnem oppositionem. Aut enim homo respectu DEI omnipotentis consideratur; Atque ita semper humilis est & esse debet; aut respectu aliorum hominum, superiorum, æqualium, inferiorum spectatur, ubi magnanimitatem, illa sã humilitate ostendere possunt; Et Contentor esse vitiorum non hominum.

29. Ad idem arg. Resp: Negando proposit: minorem Magnanimitas enim non minus quàm & cæteræ virtutes in laudabili mediocritate consistit. Probationem quod concernit, admittitur in illa falla: à dicto secundum quid, &c. Dicitur enim Magnanimitas, magna quæq; & summa sequi, respectu reliquarum virtutum, quæ magis vulgariis objectis sunt contentæ; non respectu vitiosorum extremorum; Inter quæ omninò medium existit ut rectæ rationis ductamen assequatur.

Et tantum breviter de illa Quæstione.

30. Quæritur insuper 2. An Magnanimitas sit specie distincta virtus à modestiã? Quæ quæstio passim acriter ventilatur, quamvis parvi referre videatur, sive ut specie sive ut gradibus saltem distinctæ percipiantur, dum.

modo trames virtutis teneatur. Ne tamen vel hanc
questionem prorsus intactam relinquamus, mentem
nostram paucis aperiemus. *Communiter specie eadem
distingui defenditur hoc argumento: specie distincta, objecta,
arguunt specie distinctas virtutes; Sed hic sunt specie distin-
cta objecta: Videlicet parvi seu mediocres honores &
magni. E. etiam specie distinctæ virtutes hic oc-
currunt.*

31. *Sed Resp: Neg: Assumpt: Seu minor propo: Hic
enim nulla est specifica differentia, inter mediocres & ma-
gnos honores, sed saltem gradualis, siquidem juxta tris-
tum; Majus & minus non variant speciem. Sicut igitur
magnæ aut mediocres voluptates specie distinctas virtu-
tes non pariunt; Ita nec honores.*

32. *Quod si instes; Voluptates magnæ cadunt in
homines cujusq; conditionis; & quidem κατὰ τὴν
ἐνέργειαν; honores non item. Resp: Quemadmo-
dum iidem honores in omnes cujusvis conditionis ho-
mines non cadunt; Ita neq; voluptas. Circumstantiæ
enim variant. Quis enim dubitat, suavius objectum
majorem afferre voluptatem, imò & diversas comple-
xiones voluptatem variare; adeò ut undè hic sum-
mam percipit voluptatem; Inde alius ne commovebi-
tur quidem. Quare quoad hæc: e; p; r ratio est, atq; ita simi-
le judicium. Est igitur magnanimitas excellentia quæ-
dam modestiæ, ad quævis magna sese diffundens non te-
cus ac magnificentia excellentis quædam liberalitas est
& proinde etiam omnis magnanimus modestus erit,
non immodestus dicendus.* *Sed de hisce satis.*

33. **MAGNANIMITATEM** à Magnitudine a-
nimi, sicut μεγαλοδουξία ἀπὸ τῆς μεγαλειότητος dici manife-
stum est: Germanicè Großmütigkeit. Sveci: Stoor nos
Digheet

digheet eller Höghmodigheet/ rarò in meliorem partem usitata inveniuntur. Non rarò autem magnanimitas pro Heroicâ fortitudine & virtute bellica; Hic pro virtute circa magnos potissimum honores occupatâ sumitur.

34. Et sic definiri potest. *MAGNANIMITAS est virtus mediocritatem servare docens in cupiditate magnorum, sed debitorum honorum, ne vel immoderatè expetantur vel indecentè contemnantur.* Undè patet idem hujus & modestiæ objectum esse *Speciale*; Honorem *lz.* magnum, & ejus appetitum: hunc internum, illum externum. *Generalius* tamen etiam hic occurrit objectum quodvis nimirum magnum. At *Sub hoc formali*, quatenus ex illis honor & decus; aut dedecus & ignominia suppullulant.

35. Qualitèr Magnanimus in quovis negotio se gerere debeat, in *Ergast. virtutum Th. 46.* strictim expositum est, ita ut omnia summa & *magnitudine extrema* consequatur, modo tamen *3 ratione media*. Quapropter etiam in verè magnanimo reliquarum etiam virtutum concursus requiritur, non modò *Ethicarum*, sed & *specularivarum*, siquidem inter alia, *magnanimi proprietas* est, nihil admirari. Hoc autem non tantum prudentia (*Quæ ex præteritis præsentia atq; futura dijudicat*) consequitur: Verum etiam mediocri naturæ contemplatione. Ita indocti varias temporum vices, diversas locorum conditiones quod modò brevior modo longior dies, quibusdam in climatibus, aliquot mensium continua nox &c. cum vulgo mirantur; quæ, causas habens perspectas, ad ratione digna non iudicat, nisi quatenus creatoris omnia ordinantis ineffabilem sapientiam suspicit.

36. Quod hic queri solet. *3. An magnanimitas cum humilitate Christiana pugnet?* Ex *Th. 29.* facilè dijudicatur. Certissimum enim est, unam virtutem cum alia,

modo sz, sint veræ virtutes non fucatae, minime pugna-
re, *Conse: Falso: quæst. Eth. Sect: 2. membr. 7. q. 10.* Et præ-
terea cum magnanimitas modestiam præsupponit vel
etiam includit uti supra dictum; Hæc verò humilitas
xi valdè affinis est; hæc se invicem non elidunt. Neq;
enim quod minoribus virtutibus præditos inferiori lo-
co habet; vel etiam plane vitiosos contemnit, humili-
tati aut Christianæ charitati adversatur; cum id virtuti
debeat. Et tanti quemquam æstimat, quanti seipe-
sum, virtutem colendo, facit.

27. Moveri etiam solet quæstio. 4. *An Magnani-
mus injurias quasvis contemnere, an ad animum revocare
debeat?* Inter cæteras magnanimi proprietates etiam
hæc afferri solet, quòd sit ad benefaciendum promptus;
ad accipiendum beneficium tardus & injuriarum imme-
mor &c. Sed obstat: Quòd qui famam negligit crudelis
est; quâ semel amissâ postea nullus eris; ut canit Poëta;
Et fama ac vita pari passu ambulare dicuntur &c. Cum igitur
injuriæ non raro famam lædant; Omnes contemnens
dæ non videntur, sed licitè etiam à magnanimo vin-
dicandæ.

38. *Resp:* igitur disting: inter injurias atroces, famosas,
graves; *Et non famosas, nec adeò atroces;* Illas quidem
ad animum revocare, vel magnanimo licet; Hæc non
æquè; Ita tamen *ut nec nimis sit crudelis, implacabilis, aut
semel remissas;* vel vindictâ qualicunq; expiatis,
denuò refricet aut exprobet.

39. Deniq; 5. Queritur, *Cum Magnanimus in omni
fortuna æquabilis dicatur;* in adversis non desperat, nec in
secundis effertur. *Anne igitur magnanimitas est stoico
à Trá Stoic?* Neg. Licet enim in utraq; fortuna debitam
moderationem adhibeat, omniaq; dignè æstimet, hu-

manis

manis tamen casibus afficitur, dum modo caveat ne præter decorum querulus aut supplex inveniatur.

40. Magnanimitatis oppositum in excessu, *fastus* & elatio, à superbiâ gradu saltem differens, unde etiam virtutes oppositas gradu quoq; differre arguitur; In defectu Pusillanimitas, quæ itidem ab animi demissione parùm differt.

41. *Fastus* est vitium Magnanimitati in excessu oppositum, quo insignia dona quæ non insunt, vel etiam majora quam insunt, magnosq; exinde honores, sibi indebitos quis arrogat, & munia quibus gerendis impar est sibi sumit. Hic ipse fastus, sermone gressu, vestitu & ornatu sese exserit; Divitias jactare facit, quibus honorem ac dignitates & quævis fastuosus se consequi posse sibi imaginatur, & exinde alios præ se contemnit.

42. Pusillanimitas est vitium in defectu, magnanimitati oppositum, quo quis animo adeò est abjecto ut omnes promiscue honores negligat etiam jure sibi debitos. Talis & DEO & sibi & reipub; est injurius; Cum dona divina grato animo non agnoscit; Malam de se suspicionem concitat; quasi turpitudinis sibi conscius, remq; publicam, cui omnes nati sumus, suis defraudat officijs debitis & patriam deserit.

43. Superbiam nonnulli dividunt, in Rusticam, stultam & ineptam, quæ cum incivilitate conjuncta est; Talis in vulgo seu plebe reperitur, ubi terræ filij dotibus ingenij & corporis destituti animo tamen sunt crasse elato: Atq; in aulicam seu jactabundam, quæ morum seu gestuum aliquam civilitatem junctam habet; qualis thraasonum, gnathonum & similium,

Utras


Utraq; tamen æquè stulta & vitiosa est. Nam omnis superbus stultus, simul est & injustus. Stultus dum Simiaz adinstar magnanimum se præbere volens, deridendum se exponit. Injustus, cum sibi aliena tribuit & arrogat.

44. Si quæritur 6. Utrum horum vitiorum scilicet fastus anne pusillanimitas, virtuti seu magnanimitati magis aduersetur atq; ita turpius sit? Decisio ex Th. 22. & 23. Supra positus peti potest. Quanquam enim Pusillanimitas homines reddat inertes & reip: inutiler; Superbia tamen propterea utilis & frugi non facit, nisi fortè ex accidenti. Et hanc illâ DEO & hominibus magis exosam esse supra monstratum, omnibusq; non superbis notissimum est.

45. An honores pecuniâ empti sint veri honores? Dijudicare Politici est potius quàm Ethici, largitionibus autem honores, honestè non comparari jam antea docuimus.

46. Utrum Magnanimi potius sit contemnere quàm expetere honores? Resp: utrumq; ad officium magnanimi certâ ratione pertinere: Virtutem tamen magis in agendo, id est appetendo, quàm negligendo elucere.

Et hac ita breviter de præcipuis controuersijs, quæ circa virtutes in honorum appetitu occupatas, ventilari solent, hac vice posita sufficiant.



COLLEGGII ETHICI

DISPUTATIO X.

De

HOMILITICIS VIR-
TUTIBUS

Respondente GUTMUNDO JACOBI LITHOVIO Suderm.,

THESIS I.

AD Octavum decalogi Præceptum referuntur etiam virtutes homiliticæ, *VERACITAS* quidem directè, reliquæ, *humanitas* seu *comitas* & *Urbanitas*, consequentè. Dicuntur autem *homiliticæ*, à conversatione; quod harum in eadè præcipuè usus eluceat. Non tamè quòd aliarum virtutum nullus sit in humana cōversatione usus; Nam & iustitia & Liberalitas & Mansuetudo &c. erga alios homines etiam in conversatione exercentur; Sed quòd *homiliticarum virtutum* in congressibus usus sit manifestior, frequentior & magis quotidianus.

2. Et siquidem in conversatione, quæ aut *seria* est, aut *jocosa*, vel *verbis* tantùm utimur, in quibus *veritas* spectanda, vel *actiones* simul & *gestus* adhibemus, quibus vel gratificamur, *svaves* & *jucundi* sumus, vel *molesti* & *odiosi* reddimur: *Tres* hinc *homiliticæ* virtutes enascuntur; Prima est *Veracitas* qua *veritatem* ubiquè in conversatione spectat; *COMITAS* seu *HUMANITAS*, qua *conversationem* ju-

*condam, sed seriam respicit. Urbanitas autem conversatio-
nem jucundam salibus & jocu efficit.*

3. Prima se hoc loco offert *quæstio de conversatione, Anne ea cum quibusvis hominibus honestè institui & coli possit?*
Pro affirmativâ militant 1. *Ex sacris cum Præceptis,* Rom. 12. v. 18. *Quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viventes.* Hebr. 12. v. 14. *Pacem sectamini cum omnibus.* 1. Cor. 7. v. 22 & 13. *Fidelis infidelem ne dimittat.* Conf. Matth. c. 5. v. 44. *Diligite inimicos &c.* 2. *Tum exemplis, Abrahami, Isaci, Jacobi & Iosephi Patriarcharum,* quos etiam cum infidelibus & impijs conversatos esse, historia Mosis Gen. 12. 14. 20. 26. 29. 34. 40 &c attestatur; uti & *Moses, David, Christus ipse & Apostoli,* infidelium conversationem planè non respue-
runt. 3. *Ex monitis Seneca, cunctis esto benignus. Omnibus esto æquus. Imprudentiam nullius despicias, &c.* Huc etiam tritum: *Abs quovis, cum usus postulat, beneficium accipere gaudeas. Cum similib.*

4. *Negativa* haud infirmioribus svaderi videtur rationibus; 1. *Ex V. T. Exod. 23. v. 32. Non inibis cum eis (habitatoribus terra Canaan.)* Fœdus. & Exod. c. 34. v. 12. *Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias.* Deut. 7. v. 2. *Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum &c.* Syrach. c. 13. v. 1. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab eâ. conf. c. 16. &c.* 2. *Ex N. T. Rom. 16. v. 17. Declinetis ab ijs qui offendicula gignunt.* 2. Cor. 6. v. 14. *Ne dueatis jugum cum infidelibus &c usq; ad finem capitis.* Tit. 3. v. 10. *Hæreti cum post unam vel alteram admonitionem fuge.* 2. Ioh. cap. unic. v. 10. *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert, ne recipiatis cum in domum, nec ave ei dixeritis.* 3. *Exemplo R. Judæ Asa* ob amicitiam cum *Benhadado* Syriæ Rege; 3. Reg. 15. v. 18. & 2. Paralip. 16. v. 7, 8. & 9. reprehensi. *Iosaphat* ob communionem cum *Achab* è bello maximo vitæ cum periculo fugit; 3. Reg. c. ult. undè

& postea fervos suos cum Iſraëlitis vaderenoluit. v. 50.
eod. c. 22. Add. 4. *Authorit. B. Hieron:* Qui veram amicitiam Christi glutine & timore Dei conciliandam affirmat. Quin etiam idem Senec: *Paucis ait, familiaris esto: Latior esto quoties displices malis. Placeas non multis, sed quibus placeas cogita. &c.*

5. Poterit autem hæc controversia, alijs sat diffusa, breviter expediri adhibet: *Dist: in fascic: Quasi: Eth: Sect. 2. Memb. 7. q. 5.* positâ quæ tamen hic paulò plenius explicanda. Est enim *conversatio 1. Alia Politica* inter homines in civili conversatione viventes; eaq; *vel liberior* inter eos qui vera ejusdè reip. membra non sunt. Ut exteri, peregrini, vicini, qualem sancti etiam cum impiis coluerunt, & nos quoq; cum Turcis aliisve exercere possumus; *Vel astrictior*, scilicet inter ejusdem regni aut civitatis membra, quæ majorem requirit cautionem. Nimirum ut subditi Regem & magistratum pium eligant; Rex subditos pios facere studeat. 2. *Alia Ecclesiastica* quæ iterum *vel externa* in frequentando templo, audiendis concionibus, &c. quæ simpliciter non est prohibita, dummodò periculum seductionis absit; *Vel Interna*, quæ in professione ejusdem religionis, communi Sacramentorum usu consistit: quam cum infidelibus omnimodè prohibitam statuimus. Quòd per eam iugum cum infidelibus verè trahatur. 3. *Alia OEconomica* sive *Domestica*, conjugum; parentum & liberorum; Domino- rum & servorum; nec non hospitum: Quæ non nisi piorum, quantum fieri potest, eligenda atq; colenda. *Vel impietas eorundem omninò improbanda.*

6. Est & 4. *Ethica conversatio*, amicorum propter similitudinem morum & virtutis studium conjunctorum; Quæ non nisi piorum & proborum esse debet.

uti nec verè potest. Quibus etiam additur *ç. Scholastica* conversatio, in scholis & Academijs, circa quam itidem cautè agendum. Neq; enim in Heterodoxorum Universitatibus diu hærere tutum: Quippè quòd *aut insidia & oppressio, aut seductio metuenda.*

7. Ad Superiora igitur argumenta, in th. 3 & 4. posita, sic breviter respondendo controversia decidi potest. *Præceptis* uti & *Exemplis S. Scripturae*, non magis quàm *Patrum* & aliorum cordatorum *Politica conversatio liberior*, prohibetur; Sed potiùs stabilitur: Nec *astriktor* omnimodè vetita, cum etiam *Regi Babel* impio jussu Dei obedientes esse Judæos, *Ieremias* ipse moneat, c. 27. & *Apostolus*, non tantùm bonis Dominis obediendum verùm & duris dicat, 1. Pet. 2. v. 18. Sic etiam *Ecclesiastica conversatio externa* planè prohibita non est, cum etiam *Ioseph, B. Maria, Simeon, Hanna, Zacharias, & Elizabetha* & *Christus* ipse *Pharisæorum* sacris sæpiùs interfuerint: *Interna* verò abominanda & textibus sacris amicitiam & fœdus impiorum prohibentibus, indigitata. *OEconomica conjugalis* inter dissidentes *fundamentis religionis* minus tuta; inter convenientes tolerabilior: contractum autem matrimonium fidei diversitas non solvit; quod *juridicè & Theologicè* decidendum. *Parentes* verò & *liberos*, quos *jura sanguinis immutabilia* junxere, ab omni communiione arcere nimis durum videtur. *Servis* incredulis & impijs etiam pijsimi usi leguntur; præoptandi tamen pij, ubi delectus locum habet. *Ethica conversatio*, dummodò vera erit amicitia & fœdus honestum, nisi inter bonos & in fundamentalibus religionis articulis consentientes esse vix potest. *Scholastica* cum heterodoxis uti dictum est

peri-

periculosissima. Plura videbis prolixè apud Dithmarf: Syst. Eth. lib. 3. Exercit: 6. de Virt. homil. Disq: 1.

8. Num solitaria vita sive Monastica in repub. toleranda, approbanda & eligenda sit? Quæstio partim Politica, partim Theologica est. Ex ipsâ tamen naturâ & institutione divinâ facile probatur hominem non ad solitudinem, sed cohabitationem natum esse: vid. Disq. pol. 1. & 2. & Synops: æconom: Neq; exemplum Ioh: Bapt: quicumquam in contrarium facit: Cum eo enim multos conversatos esse, ejus conciones audivisse, ab eodem baptizatos fuisse, eumq; aulicû concionatorem egisse Hist: Evangelica attestatur.

9. Sed cum conversationis præcipuum vinculum sit sermo, de virtute circa eundem occupatâ; VERACITATE nimirum, primitus agemus, Quâ ea servatur mediocritas ut nec plus dicamus esse nec minus quàm revera est aut oportet. Mendacium itaq; est, Cum quis sciens & volens alios fallit.

10. Hic valdè controversa oritur disceptatio: An veritas semper sit proferenda? Et consequentè, An omne mendacium sit vitiosum, ideoq; fugiendum? Quæ tamen quæstiones sigillatim exponenda. Ad priorem ut ritè respondeatur; Notanda observationes ab Ethicis inculcari solitæ; 1. Alia enim veritas ob conscientiam & per taciturnitatis ll: proferri non debet; Utpote si in confessione clandestinum delictum ministro verbi à peccatore poenitente in secreto revelatum sit; id manifestare haud licet. Non quidem mentiri oportet, dicendo illum nihil confessum, vel aliud quid comminiscendo; Sed apertè profitendum: Non licet mihi per conscientiam talem confessionem eliminare, Vigore Ordin: Eccles: fol: 71. b. Neq; id pius & cordatus magistratus postulat. (Nota tamen; si proditionem aliqui contra patriam vel magistratum moli-

antur, poterit id minister obliquè suppresso nomine pe-
nitentis & confitentis, monere ut sibi magistratus cave-
at & prospiciat) 2. *Alia vera proferre licet*, Sed tùm de-
mùm cum id magistrat^o injungit; ut clandestina delicta
aut conventiones clanculù. sc. transactas. 3. *Alia pro-
palare fas est* verùm apud eos tantummodò quorum inter-
est; Ut secreta domestica & quæ in alicuius familia aguntur, 4. *Alia
deniq; indiscriminatim*, absq; tamen garrulitatis vitio, e-
buccinare vetitum non est; *Utpotè ea quæ nullius commo-
dum vel existimationem ledunt*, ut nunc de eâ veritate nil il-
dicatur, quam quis ratione officij in apicem proferre
omniò tenetur; ut concionatores & Magistratus.

II. Ad alteram quæstionem ut paucis accedamus;
Notandum tritam esse *mendacij distinctionem* in *officiòsum*,
jocosum & *perniciosum*, à *Lomb.* Sententiarum Magistro
introducram & passim frequentatam; quam neq;
nos planè improbamus: Quartam tamen speciem
non subticendam putamus *mendacij* scilicet *nugatorij* &
vanitatis, quod neq; juvat neq; delectat, neq; alij quàm
proferenti nocet; sed ex merâ vanitate, & mentiendi
consuetudine prodit. Conf. fascic. contr. Eth. sect.
2. memb. 7. q. 3.

12. Sed ane aliquod istorum mendaciorum sine o-
mni vitio esse possit & omnimodè approbandum satis
ambigua est controversia. De *Pernicioso* & *nugatorio*,
mendacio, omnes consentiunt ista vitiosa esse adeoq; fu-
gienda: Nec *jocosum* omnis vitij expers esse quisquâ
facile asserere audeat; cum etiam de quovis ocioso
verbo in die judicij ratio reddenda sit, dicente ipso Sal-
vatore Matth. 12. v. 36. Nam si regeratur; *Ociosum
non esse quod delectat*. Respond. Dupliciter. 1. Ob-
lecta.

lectationem non esse probandam nisi & honesta sit. 2.
Quod non ædificat est ocium: Sed mendacium jocosum nihil ædificat &c.

13. De officioso mendacio prægnantiores offeruntur dubitandi rationes; adeò ut interdum (scilicet ubi id salus proximi postulat) non mentiri peccatum videatur. Unde & hoc mendacij genus non leves authores approbant & à vitij labe absolvunt: Qui tamen *Exemplis* magis quàm rationibus aut *regulis* nituntur. Quibus quantum tribuendum sit, paucis expendamus.

14. Tale autem pro mendacio offic: argumentum extrui potest: *Quod in sanctis non modo inventum sed etiam commendatum, imò premijs etiam exornatum legitur; Id peccatum esse non potest: Sed officiosum mendacium: &c.* Major prop. cum sit extra dubium; minor probari solet: 1. *Exemplo Obstetricum Ægyptiacarum;* Quæ & mentite dicuntur, Exod. 1. cap. & *Quod Deus ijs benè fecerit & domos adificaverit.* Sed *respond:* 1. Non fuisse prorsus mentitas; Nam quod Hebrææ foeminae vividiores fuerint, à veritate planè non abhorruit. 2. Deus ijsdem benedixit & adificavit eis domos quia timuerunt Deum, uti habetur v. 20 & 21. nec non 17. cit. cap. 1. nihil itaq; facit locus iste pro mendacio. *Placuit Deo quod conseruarint masculos, & pia fuerint: Mendacium autem idèd non placuit.* Psal. 5. v. 7.

15. Ob: 2. *Exemplum MOSIS & ARONIS,* qui Exod. 3. asserunt se velle cum Israëlitis itinere tridui in loca deserta proficisci ad sacrificandum; Cum tamen intentio erat populum planè abducere. Respond: 1. Mendacium nullum fuisse; nam ad sacrificandum etiam, & colendum Deum iyerint; Sed quòd omnia non revelaverint, & ali-

quid

quid ex veritate reticuerint, prudenter & cordate, imò
piè ad mandatum divinum fecerunt. 2. Quinimò
Deo jubente, qui author est legis, ex illicito fit licitum.
Sic *Abrahamo* filium mactare ad mandatum Dei licitum
fuisset; quod aliàs abominandum. Et *Israëlitis* *Æ-*
gyptios spoliare, jubente Deo, turpè non fuit. Quam-
vis indè minimè sequatur, extra peculiare Dei manda-
tum, *raptum* vel *furtum* aliquod licitum esse; vel fur-
tum dari officiosum, quod honestum sit.

16. Ob. 3. Manifestum fuisse mendacium *Jacobi* Gen.
27. v. 19. Respond. 1. Si hoc exemplum mendacium
licitum facit, tum non modò officiosum; Sed & per-
niciosum licitum erit; (quod tamen absurdum) Quis
enim non videt hoc mendacium fratri *Esau* pernicio-
sum fuisse? 2. Rectè ad hoc & similia piorum facta
dicitur, eos ab omni peccato immunes non fuisse.
Quanquam enim Deus permiserit eum hoc processu
benedictione potiri; vix tamen eundem simpliciter
approbavit; quod etiam *Jacobum* satis intellexisse ex
v. 12. patet. Nisi tamen ex *πληροψαγία* matris v. 13.
concludendum sit, eandem peculiarem revelationem
habuisse. Et 3. veritate prorsus non caruit, Quod *Ja-*
cobus se primogenitum *Isaci* dixerat; Mysticè scilicet,
quamvis non simpliciter. Sed iustus itidem septies cadit; &
omnis homo mendax.

17- Ob. 4. Ad exemplum *Israëlitarum* *Ægypto*
egredientium, Exod. 11. & 12. jam antea responsum est;
niti scilicet peculiari mandato Divino. Extra quod ab
alijs minimè imitandum. Deus enim justam labo-
rum mercedem ita pendere voluit. Idem quod; 5. Ad
exemplum *Jabelis* Judic. 4. D. *Chytr.* ut *Ostend.* in notis
refert

refert, respondet. Deum nimirum specialiter mandasse Chananaeos extirpare; & per *Deboram* vatem *Sisaram* in manum mulieris traditum iri patefactum erat.

18. Si objiciatur 5. *Simsonis* exemplum amasiæ mentientis, judic. 16. Respond: id non magis probare, quam si quis ita argumentetur; Meretrices amandas esse; quia *Simson* id fecisse legitur. Secretum quidem clam habere honestum atq; licitum fuit; Mentiri autem rectè non, nisi *καταφυσικῶς*, dici potest.

19. Ob: 6. Exemplum *Samuelis* qui sacrificij causa se *Bethlehemum* venire simulavit, cum tamen ungendi *Davidis* gratia iverit: 1. Sam. 16. Respond: 1. Et hic præceptum divinum expressè præcessisse, v. 2 & 3. 2. Non mentitus est, nam & ad immolandum venit; & revera etiam sacrificavit. Quòd autem omnia quæ peragenda erant non propalavit, non minus rectè quam prudenter fecit. Neq; enim ad id obstrictus fuerat.

20. Ad mendacia *Davidis* & *Jonathan* 1. Sam. 20 & 21. Si obj: 7. Resp. & eos homines fuisse, ideoq; ab omni peccato non immunes. Et præsertim ubi aliquid præter vel extra divinum mandatum committunt, prudentiam & salutarem dissimulationem, si politice consideretur, videri fatendum. Sicuti etiam cum apud *Achis Regem* insaniam simulavit. At quis negare potest imbecillitatem & pusillanimitatem, ne dicam diffidentiam, hic aliquam se exseruisse. Quasi verò absq; ejusmodi simulatione, Deus eum liberare nescisset? Et si veritatem præsentis animo professus esset omninò pereundum fuisset? Deus scitis novit vias eripien di suos.

Ita cum *David* à *Saule* circumcinctus in deserto *Maon*, non simulatio, non prudentia, non officium

mendacium eundem servavit. Sed speciali providenti-
ciâ divinâ destitit. *Saul persequi Davidem.* Idem etiam
ad exemplum Michol Uxoris Davidis & filie saulis, cap: 19, cod: 1. Sam. c. 10.
Quod laudabilem fidem uxoris ergo maritum, eius semq; altissimam eorum memo-
riam. Ex illicito tamen licitum & honestum non facit.

21. *Idem.* Obj: 2. Hufai 2 Sam. 16. & seq. Resp: 1. Ver-
rûm hoc & similia facta quanquã *charitatem sapien-
tiamq; redoleant.* & longè minori ac leviori vitio
contaminata sint, quã mendacia perniciofa; omni-
ta non nãvo carere vix dici possunt. 2. Multa eti-
am quæ Hufai dixit verissima fuerunt, utpotè; *illius ero,
quem elegit Deus &c.* Acq; ita de similibus idem esto, iudicium.

22. *Idem.* ad Exemplum *elisei Syros adducentis.* 4.
Reg. 6. Si 9. Obj: Responsio facilis. Nihil enim men-
ditus est. *Dixit se velle ostendere ijs virum quem querebant;*
*Non est hæc via, neq; ista est civitas, inquit, scin quã invenie-
rûs? Agnosceis eum, sequimini me.* Quid in hisce falsi?
Etiam si illi cæcitate perculli, alium eum putarunt quam
revera fuit, aliamq; civitatem existimavunt, atq; ita
falsi sunt.

23. *Idem.* Est quod magis stringere videtur. 10. *Exem-
plum ipsi Salvatoris Christi;* Cui' actiones Christiani homi-
nis sunt institutiones. *Ipsè autem præ se ferebat longius
ire.* Luc. 23. v. 28. Sed Respond: 1. Neq; hic ullum
mendacium invenitur. Christus non dixit se longius
velle ire; & tamen ibi subsistere constituit: at præ se fe-
rebat (*προεβασεν*) longius ire; & procul dubio, nisi
eum coëgissent dicentes, *mane nobiscum &c.* Ibi visibi-
lis non intrasset. Nihil igitur mendacij hic invenitur.
2. Et posito, quod in actionibus divinis & quæ à Christo,
tanquam legis authore, prodierunt aliquid cõtra legem
inveniretur, id tamen, ut supra dictum, nobis idem
temerè imitandum non est. *Veritatem itaq; diligamus.*

Suumquique, sive id *jocose* sive *serio* fiat, veritatem cum proximo loquatur.. Ephel. 4. *¶* 14.

24. Quoniam igitur minime diffiteamur, pro ut ex suprapolitis constare potest, *officiosum mendacium* levius esse peccatum, quam cæteras mendacii species, omnino tamen vitium non esse in animũ inducere adhuc non pestumus: 1. quod verbo Dei omne mendacium inalteraminatim damnetur.. Exod. 20. *¶* 16. Levit. 19. Syrach. 7. *¶* 13 & 14. Adde c. 15. *¶* 8. cit. Psalm. 5. Prov. 6. 12 & 13. capp; Zachar. 8. Oleez 4. Joh. 8 & cit. Ipteli 4. & c. Quæ testimonia tam sunt clara & manifesta, ut mendacium nullatenus ab omni vitio excusari possit. 2. Facit autoritas *Augustini* lib. de Mend.

c. 14. Qui omnia mendacia etiam officiosissima 8:vo Precepto alijsq; S. Scripturæ locis contraria atq; ita peccata esse asserit. *Quod res semel mala semper talis sit.*

25. Addi potest 3. & *has ratio*. Quod pugnat eum institutione & sine loquelæ seu sermonis sine vitio adhiberi nequit; Sed omne mendacium pugnat &c. Ingenium enim finem sermo datus est ut animi sensa ingenus exponamus, non ut quemquam in errorem deducamus; *Neq; multum obstat instantia; quæ distinguitur inter finem ultimum & subordinatos; illum quidem unicum esse, hosce vero plures esse posse.* Nam probari non potest sermonem homini ad fallendum & mentiendum vel *primario* vel *secundario* datum esse; ideoq; nec ullatenus *finis* loquelæ esse potest *mendacium* neq; *ultimum* neq; *subordinatum*, nam ultimus est *gloria Dei*, intermedius 8:vo Precepto, & Epist. ad Ephel. d. c. 4. exprimitur, ut unusquisq; veritatem loquatur cum proximo suo. i. e. ut commode instituatür cõversatio, pie & honestè cohabitetur.

4. Alias autem rationes ex bonis authoribus, etiam prophanis Scriptoribus, qui se plus quam claustra Erebi odisse professi eos qui aliud ore loquuntur, aliud corde reconditum habent. &c. breuitatis E. nunc omittimus.

26. An verò a mbiguitate etiam inter loquendum aliquando uti honestum sit? Resp. Dist. inter *ambiguitatem ad fallendum* a ut *ad docendum & delectandum comparatam*; Illa *illicita* est; hæc verò *honestè*, modo *tempestive*, adhiberi potest. Cur *dissimulatio* (sic enim legendum) *arrogantiâ solerabilior*? Vid. fascic. controv. Eth. Sect. 2. memb. 7. Quæst. 6. Fallum enim dicere seu mendacium loqui prohibitum quidem est: Omne autem quod verum est effatire nunquam injungitur; Sed *veritatem colere fas est*.

27. An vir comis & humanus, illa sã affabilitate, amicos etiam interdum reprehendere possit? Dubitari potest. Qui enim offendit, non est affabilis & humanus; Sed qui alios reprehendit, ille eos offendit E. Major est probatu facilis, ut enim viri comis est alios oblectare; Cum superioribus modestè & reverentè; cum aequalibus amicè; cum inferioribus blande & gravitèr conversari; ita viri est inhumani alios reprehendendo offendere. Minor etiam experientia confirmatur: Equis enim est qui reprehensiones æquo animo admittat; & non malit laudari quam reprehendi ac vituperari.

28. Respondetur tamen 1. Distingvendo inter *offensionem* quæ ex malitiâ, invidiâ vel protervia descendit; & eam *offensionem* quæ ex pio & cordato Zelo, sincerâ fide & honestatis amore prodit. Hinc Major prop. Sic limitanda venit; Qui ex *malitiâ vel inscitâ* &c alios reprehendit, &c. 2. Ad probationem respondetur virum bonum non tantum *reverentèr amicè & blande* verum

tum

rum etiam *libere & honeste* conversari debere. 3. Respondeatur etiam ad *min: prop:* eam non esse simplicitatem veram; Non enim semper qui alios reprehendit eodem statim offendit. Nam Parentes, docentes, Magistratus &c. Cum sibi concreditos officij ratione (ita & amicus amicum propter vitia) reprehendunt non offendunt sed potius delectant. Juxta illud Senecæ Verba blanda timebis non acerba. Ita & *Pythagoras* potius, inquit, gaudendum redarguentibus quam assentantibus. Confer. Syrach. c. 21. v. 17 &c. Nam *offensio* seu *scandalum*, ut Theologi notant, aliud *datum est*, quod respectu offendentis non semper in vitio est. 4. Neq; probatio firma est, prout ex jam allatis patet. Et quamvis corrupta natura, imbecillitas & perversitas humana laudibus quam reprehensione & correctione magis delectetur: Prudētia tamē etiā hæc, recte adhibitas, magni facere solet.

29. Undē pro *affirmativâ* firmitus argumentari quis poterit: Quicquid honestas, utilitas, candor & veræ amicitiae leges mandant, id honeste fieri potest: Atqui amicos interdum (*peccantes scilicet & indesorum aliquid admittentes*) reprehendere, honestas, utilitas, candor &c. mandat. E. Quinimo exemplo sanctorum idem etiam probari potest, ita Moyses licet mansuetissimus suos nonnunquam reprehendit; Propheta suis, etiam ipsis regibus non pepercerunt. Et *Salvator Christus*, non tantum modo Apostolos & Discipulos tibi charissimos, verum etiam parentes quoq; reprehendit. Quis igitur non nem reprehensionem ab humanitate proprius aenā statuet? conf. Exod. 31. v. 21. 2. Reg. 12. & 3. Reg. 21. Luc. 2. v. 49. Joh. 2. v. 4. & 5. Luc. 24. v. 25 & 26. Galat. c. 3. &c.

30. *Affabilitas* igitur (aliis *comitas* seu *humanitas* &c.)

miliaritas dicta) haud malè definitur virtus homilitica
quã in seriã conversatione & familiaritate, ea servatur mediocritas, ut quantum honestas permittit nos faciles aut difficiles exhibeamus. Conf. th. 49. Ergat: viri: Quatenus autem affabilitas, familiaritas & huiusmodi valde affinis amicitia virtutis nomen mereatur, vid. falsic: contr: Eth: Sect. 2. memb. 7. q. II. quã hic brevitatís causa non repetimus?

31. Tandem & de Urbanitate, quã circa iocos & sales re-
tè ac moderatè versari docet: Queritur An virtus meritò dic-
cèda sit? Negativa non paucis niti argumentis videtur. 1. Virtutis omnis homo capax est, prout superioribus dispp: à-
liquoties probatum: Sed urbanitatis omnes non sunt capaces. Quis sciam n. homines nullatenus joculari posse experientia docet. E. Urbanitas non est virtus. 2. Quod omnibus & omni loco non convenit id non est virtus. Nam virtus omnes homines ornas, nullumq; locum respuit, sed ubivis exerceri potest: Urbanitas omnibus non convenit, quippè magnates non decet, nec in omni loco, Sc: in senatu, in curiã non decet. E. Urbanitas non est virtus. 3. Actio quam S. Scriptura improbat & punita esse non potest: Sed jocos Scriptura S. improbat. Eph. 5. 2. 1. E. Urbanitas non est virtus. 4. Virtus occupatur circa difficilia: Sed joculari non est difficile. E.

32. Affirmativã nihilominus nos tuemur fundamẽ-
to in superioribus subindè posito: Ubi datur laudabilis mediocritas in actionibus humanis cum honestate & recta ratione congruens, ibi & virtus locum habet: Sed in actionibus & moribus jocosis laudabilis mediocritas cum honestate &c. datur. E. Urbanitas virtus quã est Urbanitas. Major est perspicua & clara cum virtus nihil sit aliud quàm talis mediocritas, quod jam pridem ostensum. Dari autem talem tum patebit, cum argumenta in contrarium pro negativã allata, explosa & enodata fuerint. Ad q; sic autem, prop. confirmabitur.

33. Ad primum igitur respond: Neg: min: seu a sum: omnes

Omnes quippè homines *urbanitatis* sunt capaces, licet ut
a quo: Nonnulli liquidem tales propter usum patitur &
jocos miscent. Vix autem ullus ita *urbanus* est, ut
invenietur, (nisi & prava convetudo accedat, qua vitium
est, sit nul un unquam jocosum edere possit, vel
Ut iam de eo nihil dicimus quod responderi etiam solet: capaces esse omnes
homines *urbanitatis*, si non ad huc tamen posse, i.e. etiam si ipsi loqui non
possunt, tamen alios honeste iocantes, quo animo audire & tolerare, ac
sic quodammodo *urbanitatis* capaces evadere.

34. In 2. arg: conceditur *pius* *membr.* *majori* *propz*
sed denegatur quodam modo *posterius*; Virtus enim in
omnibus quidem convenit hominibus; Sed una tamen &
eadem virtus quovis loco, a que decent, non exercetur
ita *liberalitas* *fortitudo* *bellicæ* &c. virtutes quidem sunt, ac
ubivis ritè non exercentur. Non enim in nuptiali solemnitate, vel
sub mediâ cõsione ferrum stringere decet, & e. neq; in suggestu taciturnum esse.
Minor verò planè rejicitur: Siquidem *atram* ipsos *Ma-*
gnates, *Reges* & *Principes* non dedecet, debita tamen cum
gravitate, jocos ejaculari. Nec nisi honestos ab alijs ulla-
tenus admittere. Quin etiam urgente magna necessitate in seriâ cõ-
sultatione aliquid urbanum afferte proflus non videtur absonum, sicut Menest-
rius Agrippa, seditiosam plebem apud Romanos iusta similitudine in ordis-
nem redegit. Flor. lib. 1. c. 23.

35. Ad 3. Resp. disting: inter *jocum liberalem* qui libe-
rali homine non est indignus, & rempestive aq; hitus
q; suis decet ac orna; & *illiberale* atq; *obscant*, q; Apostolo
dicitur *gò rps xar. wagodoxia* dicitur, liberali homine tantoq;
magis Christiano indignus. Hic meritò prohibitus est,
& *improprie urbanitas* appellatur: Unde & cit. v. 4. c. 5.
Ephes: *S. Paulus* notantur addit, *quæ non conveniunt rã è m*
& *vj xorra*. Unde *salucia* à dicto, secundum quid ad dictum
simpliciter, vel etiam *accidentis*, satis dispalefcie.

36. Quarto argumento satis fiet, breviter responde-
do: Jocari quidem, ei præsertim qui assuetus est, & joco-
so pollet seu lepido ingenio facile esse; At jocari quando
quar-

quantum, quomodo, cum quibus oportet ac non aliter, difficultate omni prorsus non caret. Sed ut dici solet. Hoc opus hic labor est. Et hæc sunt præcipue controversiæ quæ circa homilicæ virtutes in Ethicis tanquam in propria sede ventilandæ occurrunt.

37. Nam aliæ quæstiones quæ à quibusdam hic infarciuntur propriè huc non pertinent: Ut potè cur profundioribus speculationibus dediti & accurati rerum contemplatores morosi videantur? Physica magis est, An moriones in aulis magnatum adhibendi? In politicis commodius deciditur, Quis etiam à Theologis ad conscientiæ casus referri potest. An Comædiæ & scenici ludî in benè constituta rep. ferenda decidere politices est, &c.

38. Coronidis loco notamus, 1. Vicia nationum obiectando, multò minus confictorum insimulatione honestè quemquam non iocari. Quòd in his nulla honesta oblectatio, nedum utilitas. (Quinimo etiam si vicia sine naturalia & sic immutabilia) Sæpius namq; inde rixæ & cædes oriuntur. 2. Adulationem esse morositate peiorem. Quòd hæc sæpe a vitiis abstrahat & ad virtutem excitet; ideoq; simpliciter noxia non videtur: illa verò contrario modo sese habet.

COROLLAR. HISTOR.

1.

Gynæocratiam etiam laudatissimi ac fortissimi populi admiserunt, Ita in prima Monarchia Assyrijs Semiramis bello & pace clara præfuit. Thomiris Scythas bellicosissimos vexit (Ut nunc Amazonum viragines & triumphatrices reginas taceamus). & ipse populus Dei ejusq; Dux Baruch Deborahæ femina parere nō recusarunt. Plura sunt recētiora exempla, Ungariæ, Angliæ, Scotiæ, Dania & Hispania &c. Ut Patriam nostram dulcissimam sub Sceptro AUGUSTÆ VIRGINIS, quæ viros indole, ingenio & virtutibus superat, florere minimè mirandum. Quod ut & porro fiat toto peccatore vovemus!

2. Interfecto Sardanapalo, qui (Sicuti & pater Ninyas Semiramidis filius) Sexum aviæ induens virtutes ac fortunam deposuit; Prima Monarchia non sublata prorsus sed distracta est. Hinc postea Assyriorum & Medorum Regna numerantur; Quibus demùm, deficientibus Babylonis sub Nabonassare, tertia Dynastia accessit. Una tamen & eadem mansit prima Monarchia usq; ad Cyrum primum Persarum Monarcham.

3. Copiosas olim factas populorum ex hac Boreali plaga egressiones atq; emigrationes, tam constanter exoticæ non minus quam patriæ historiæ attestatur, ut id ipsum inficias ire temeritate non carere asseri posse videatur.



COLLEGII ETHICI
DISPUTATIO UNDECIMA

DE

IMPERFECTIS VIRTUTIBUS

Respondente PETRO ANDRÆ VVANGSTELIO VVermanno.

T H E S I S I.

Vidimus huc usq; *Virtutes Ethicas ad Octo priora Decalogi Præcepta referendas*: Consequens igitur esset ut nunc de ijs, quæ *nonum ac decimum, ceu postrema, spectant ageremus*. Ubi & hoc obiter monendum; duo isthæc præcepta & hic, & in *Ergast. Virtutum, & Fascie. quest. Ethic.* conjungi, non quod unum saltem eadem præceptum constituere, cum heterodoxis quibuidam, statuamus; Sed quod *Philosophia*, intra cujus limites hic nobis manendum, concupiscentiam (non quidem *actualem*, sed ipsum fomitem, radicem seu primam rivulationem, quæ *originalis* dicitur) turpem atq; in vitio esse ignoret.

2. Quanquam autem nescij non simus de distinctione *Decalogi* varias fuisse *Patrum, veterum & recentiorum* opiniones; Ita *Iosephus de Antiq. jud. lib. 3. c. 4.* singulis tabulis quina præcepta tribuit, hoc modo: *Docet nos 1. Præcept. Deum esse unum, & hunc solum adorandum. 2. Nullius animalis simulacrum colendum. 3. Non temerè jurandum. 4. Septimi dici ferias nullo opere profanandas.*

A

nandas.

mandata. 5. Parentes honorandos. 6. à Cade abstinendum. 7. Non adulterandum. 8. Non comittendum furtum. 9. Non deponendum falsum testimonium. 10. Nihil alienum concupiscendum. Cui Irenæus consentit. Hesy chius, uti habet Alexand: ab Alex, & Thomas Aquinas, præceptum de Sabbatho expungit; Et præfationem; Ego sum Dominus DEus tuus &c. ad complendum denarium numerum primum præceptum constituit. Athanas: Cyrillus & Philo, præfationem & præceptum primum agnoscunt: De Sabbatho autem præceptum, ut facit Hesy chius, non excludunt; quam veterum sententiam quidam ex Reformatis, ut vocari amant, nimirum *Petrus Martyr, Georgius Sohnius* alijq; tuentur. Alij præceptum de non faciendis sculptilibus, *Secundum* faciunt, ut ipse *Calvinus, Ursinus & Musculus*, cum recentioribus istius dogmatis sectatoribus: Qui hæc in parte, *Origenem, Nazianzenum, Ambrosium & Chrysostomum* sequuntur.

3. Scimus etiam fidei Articulum non esse, quo loco aut ordine singula præceptorum Decalogi locentur. *Duas fuisse Tabulas: Et decem mandata seu Præcepta, quæ originalis textus Verba vocat, nemo dubitat.* Sed cum plures imperativæ sententiæ quàm decem apud *Mosen* occurrant; quæ & quot ad hanc vel illam tabulam referendæ, ambigi ceptum est. Nos tamen cum *Clem: Alex: Augustino; Bernbardo, Lyrano, Hugone*, alijq; non paucis; Ipso *Luthero & orthodoxis Lutheranis* *Tria* præcepta *Priori tabule* accensemus (mandatum de sculptilibus primi præcepti appendicem facientes) *Posteriori septem;* Mandatum de non concupiscendo, in duo præcepta dividentes. Quod prava concupiscencia; alia originalis sit, Græcè *συλλαβῶσα*, *Concipiens* & Alia

Alia Actualis, Græcè *ἡμετέρα*, *pariens*. Ut pluribus Theologi declarant. Hæc instituti nostri ratione & mentis exequenda gratiâ, per Historicam quasi Relationem, hæc vice eâ de re adducta sufficiens est.

4. Ex allatâ hâc destinatione etiam responderi potest ad objectionem quæ contra supra posita facile negatur; hoc modo: *Quod Ethnici non verunt esse virtuosum aut vitiosum, adeoq; refrenandum & coercendum, id soli Theologia relinqui non debet ut tractetur & explicetur; Sed Ethnici etiam cognoverunt concupiscentiam malam, esse vitiosam atq; damnandam: E. Virtutes qua concupiscentiam refrenant non à Theologis tantum, verum etiam Philosophis, consideranda & explicanda veniunt.*

5. Minor prop. sic probatur; id enim est Philosophiæ eæ considerationis, quod homo naturali lumine assequi potest, sine peculiari scripturarum & Spiritus S. illuminatione: Sed quæ Ethnicis innotuere, talia sunt; E. Minor ex Arist: 1. Eth. c. 13. alijsq; exemplis non paucis probari posset; & jam antea, in Fascic: *Quæst. Ethic. Sect. 2. Memb. 8. q. 1.* probata est.

6. Respondetur igitur Philosophos utiq; etiam de malâ concupiscentiâ & pravis cupiditatibus refrenandis & coercendis agere; Siquidem *virtutum* atq; *vitiorum* objectum aliud *Externum*, aliud *internum* esse, nimirum ipsum *Appetitum* & *cupiditatem*, supra sæpius inculcatum est. Et in vitio esse atq; peccare desiderium seu concupiscentiam cui conatus accedit; aut cum quis deliberato animo aliquid mali proponit, vel Ethnici intellexerunt: quod satis in confesso est. At *Paulum* ad Rom. 7. v. 7. inquiringem se non novisse concupiscentiam esse peccatum; nisi lex dixisset: de aliâ *Concupiscentiâ*, nimirum *Originali*, quam nec Ethnici, nec

ipsi quidem Pharisei peccatum esse agnoverunt, loquutum fuisse manifestum evadit. Proinde cum Theologis & aliis ascendat sublimiorem etiam sibi considerationem non immerito exposcit.

7. Sed instari adhuc potest: *Si Decalogus est lex moralis, sequitur eundem solum circa mores & externas Actiones occupari: Atqui verum est prius, E. & posterius.* Confessione Majoris est clara si enim à moribus nomen & denominationem habet, circa eosdem etiam principaliter versabitur. Ita Ethica ἀπὸ τῶν ἡθῶν, à moribus dicitur, quod in iisdem regendis munus suum exerceat. *Assumptio* est evidens quod Decalogus lex moralis dicitur; omnium Theologorum & Dd. consensu. Cui enim ignota est distinctio *Leg. in Moral: forens: & ceremonial?*

8. Respond: ad *Maj. Prop.* Sicut aliis ex notationibus atq; nominibus infirma ducuntur argumenta; Ita etiam hic appellatio ipsa rei magnitudinem non assequitur. Quippe *Lex Moralis* non tantum τὰ ἔθῃ, seu mores & externas Actiones; Verum ipsum cor & affectus, mentem & voluntatem judicat atq; scrutatur, quæ primario dirigit & informat. Non secus ac Ethica, ut Actiones regat, animum prius erudit.

9. INST. Ergò malè *lex Moralis* dicitur. Resp. Quamquam in primà vocatione, quantum veri potest, ἀκριβεία adhibenda sit; in receptis tamen faciliores esse convenit; dummodò commodè explicari queant, ne absurditatem pariant. *Lex* igitur *Moralis* seu ultima Decalogi præcepta *Originalem* etiam *concupiscentiam*, quæ vulgo ignotior, prohibent: Ethica in singulari objectis actualem, quoad in hac inbecillitate fieri potest. *concupiscentiam* & appetitum dirigit.

10. Verumenimverò siquidem in hoc corrupto hominis statu, vel actualem concupiscentiam ita subigere & rationi obedientem habere, ut nunquam malis suggestionibus consentiat, sed in virtute jugiter delectetur, rarissimum ne dicam impossibile sit; Et utcumque honestatem consectemur, luctam nihilominus & difficultatem aliquam (*Apostolo lex membrorum dicitur*) experiamur; quam exacta & perfecta virtutis natura non admittit: Hic aliqua de *Imperfectioribus virtutibus; seu Semivirtutibus* (vias ad virtutes vocat *Piccolom:*) quaerentiam in hac conditione frequentiores, nec suam laudem fraudandam, non immerito agendum venit.

11. *Semivirtus seu imperfecta* virtus, non eodem sensu semper dicitur, nunc *Naturalem quandam inclinationem* seu instinctum denotat qualis *verecundia, Nemesis, misericordia &c.* quibus ad virtutes quodammodo propendimus. Vide *Piccolom:* gr. 4. c. 31. Nunc pro *habitu imperfecto*, nostram curam & assuetudine comparatis sumitur; quales sunt *continentia tolerantia &c.* Hoc loco non tam de priori acceptione, siquidem ista semivirtus non ab humana industria aut informatione, sed à DEO & naturam immediatè dependet; ut canit Propert:

Hic jatus ad pacem; hic Castrensibus utilis armis.

Natura sequitur semina quisque suae:

Quam de posteriori sermo erit; nostri enim potissimum est instituti ea considerare, quae Actiones ad vitam communem & honestatem informare poterunt. Naturalem verò inclinationem, modo minorem modo majorem, praesupponimus. De qua tamen & postea quaestio movebitur.

12. Est igitur *imperfecta virtus sive semivirtus* quaere-

Haec rationis ductum sequitur, cum aegritudine aliqua & oblectatione affectibus non dum plene subactis. Definitio hæc satis perspicua est; Genus subintelligitur virtus, prout tam latè accipitur, ut omnes virtutis gradus complectatur. Vid: sup. Disp: 3. thesi 32. Quippè inchoata virtus & imperfecta, est etiam virtus. Differentia quâ potissimum à perfecta virtute non tam specie quàm gradu differt; in luctâ affectuum, aegritudine ac difficultate consistit. Virtutem enim perfectam habens, cum delectatione & iucunditate absq; molestiâ honestatem sectatur; At semivirtuosus, abstinet, cõtinet idq; non sine difficultate; sicut Logices tyro, qui iam artis dispositionem, consecutus, disputat quidem ac differit, sed magnâ adhuc eum difficultate; Qui verò habitum sibi diuturnâ exercitatione acquisivit; absq; ulkâ molestiâ, magno potius cum oblectamento, disersum instituit & ratiocinatur.

13. *Quæri hic solet; An semivirtutes etiam mediocritatem seruent? Ad quam quæstionem affirmativè respondetur. Nisi enim mediocritatem, i. e. honestatis & rectæ rationis præscriptum teneant, virtutes dici non merentur. Cum illam virtutis natura & genius omnino exigat. Et perfecta virtus ab imperfectâ, non tam naturâ & essentiâ, quàm gradibus & eminentiâ, uti dictum, discrepet.*

14. *Obijci tamen potest: Qui ab affectibus turbatur, non potest debitam mediocritatem, & rectæ rationis præscriptum tenere; Sed semivirtuosus vel imperfectâ virtute præditus, affectibus turbatur. E. Prop. Major sic stabilitur; Quòd turbatus ratione bene non utatur. Et qui affectibus inquietatur, debitam rectitudinem in actionibus servare nequeat. Assumpt: ex ipsâ definitione satis confirmatur; Quòd virtus perfecta illam affectuum luctam velut semivirtus, non experiatur.*

15. Sed Resp: 1. Semivirtuosum, verbi gratia continentem aut tolerantem, affectibus quidem nonnihil turbari, i. e. commoveri; minimè autem perturbari seu ab honestatis tramite prorsus retardari. Nam si hoc contigerit, jam non amplius virtuosus aut continens; Sed vitiosus & incontinens &c. evadit. 2. Turbatus, aut perturbationi succumbit; & tum rationis habenas audire nequit; Sed in vitium prolabitur; Aut non succumbit; Sed cum statua non sit sensibilibus quodammodo officitur; & nihilominus honestatis tramitem tenere potest. Nihil igitur vetat, quia semivirtutes laudabilem etiam mediocritatem servant.

16. Numerum imperfectarum virtutum quod concernit, sunt illæ totidem, quot ipsæ perfectæ; Unaquæq; enim virtus sua initia, suos progressus & incrementa habet. Beneq; nobiscum agitur, si in istâ luctâ & pugna rationis ac appetitus, circa quodvis objectum, ratio palmam obtineat, & juxta ordinationem creatoris superior existat.

17. Obstaretamen videtur quod summus ille Philosophorum Aristoteles, duas tantummodo recensuerit semivirtutes, Continentiam nimirum & Tolerantiam: Hinc enim tale necesse potest argumentum; Quot numeravit Arist: Imperfectas virtutes, tot etiam sunt & merito habentur: Sed duas tantum numeravit Arist: imperfectas virt: E. Prop. Maj. vel hinc confirmatur, quod Artifici in sua arte credendum sit; Jam autem Arist: in Ethicis proximum se præbuit artificem: Ut non tantum Philosophi, ejusdem in Ethic: Ni com: ἀκριβέως & diligentiam suspiciant: Verum etiam Theologi tantum in
Ethi-

Ethnico lumen admirentur., *Assumpt: probatur ex lib:*
7. Eth: Nicomach: c. 1. &c.

18. *Resp. 1. A Testimonio affirmativè non negativè regularitè, argumentandum esse.* Itaq; procedit; Aristoteles *Continentiam & Tolerantiam imperfectas virtutes vocavit; Ergò tales sunt, Non a. sequitur; Aristoteles nominatenus non enumeravit plures; E. plures non sunt.* 2. *Positio unius non est exclusio alterius; Quamquam igitur duas adduxerit Philosophus imperf: virt: species; reliquas tamen ideò planè non exclusit aut negavit.* 3. *Continentia interdum, ampliata vocabuli acceptione, etiam circa opes honores, iracundiam & quodvis objectum occupari dicitur, unde continens iræ, vindictæ &c. aliquis appellari potest. Interdum pressius circa solas voluptates, cum Temperantiâ communes, occupari dicitur. Tolerantia autem quævis difficilia atq; molesta respicit; Unde in generaliore significato cum hæc duæ sumuntur, quævis alias semivirtutes sub iisdem comprehendi posse patet. Hanc distinctionem Casus & alij sic efferunt: *Continentia uti & incontinentia, vel simpliciter & per se considerata, & tum propriam materiam habet: vel Compositæ & per accidens, atque tum etiam circa aliarum virtutum objecta, ut iram gloriam, lucrum versatur, unde continentem iræ &c. rectè dicimus.**

19. *Quod si adversus dicta regeratur. Si continentia & Temperantia conveniunt objectis, pro ut jam proxima superiori thesi dictum, sequitur easdem coincidere & unum atq; idem esse: Sed V. prius E. & post: Resp: ex supra positis: concedendo idem esse specie, utraq; enim circa voluptates rectæ rationis præscriptum servat, cum gradibus tantummodò distingvantur. In hoc autem differentia potissi-*

potissimum elucet: *Temperans vitiosis cupiditatibus non inquietatur: Continens motus & agitationes experitur.* In temperante enim Appetitus rationi ultrò obsequitur: In continente, non sine rebellione & resistentiâ subigitur. Unde convenientia simul & differentia satis dispaesceat.

20. Siquidem igitur hîc nobis de *continentiâ* absolute, quatenus ad *Temperantiam*, vel ex parte ad alias virtutes, gradus est (*alias enim & nonnunquam pro ipsâ Temperantiâ sumitur*) Primariò agendum; Ea sic definiri potest. *Continentia est semivirtus quâ in voluptatibus gustu & tactu debita medioeritas, at tamen non sine luctu & tergiversatione appetitus servatur.* Quæ definitio ex superioribus est manifesta. Eodem modo etiam in reliquis: *Continentia ex parte, est semivirtus circa voluptates ex honore, divitijs, victoriâ &c. debitum modum, etsi tumultuante appetitu, tenens.* *Incontinentia* & contra, est *semivitiium* quo post aliquam luctam, ratio tamen victas dare manus cogitur.

21. Mover hîc Philosophus ipse aliq; quæstionem: *An incontinens sciens peccet?* Veluti *Socrates* neminem ea agere posse existimavit, quæ mala esse sciret; Sed quod quis mali aliquid admittat; Id omne ex ignorantia proficisci: ut habet *Arist.* 7. *Ethic.* c. 2. Ita & *Plato* neminem sponte malum esse, nec scientem peccare posse, in *Diagora* demonstrare conatur. Siquidem *Sapientia firmus est in homine habitus, quo dominante omnia rectè habent; nec facile superari potest.* Præterea cum sciens rectèq; sentiens omnia finis i. e. boni alicujus gratia faciat; & si collatio fiat inter plura, majoris boni causa actionem instituat, sequi videtur nullum scientem esse incontinentem.

22. Contrarium tamen, & verio rem sententiam, non tantum Arist: cum ipsa experientia propugnat; Sed & S. litera liquido confirmant. Multos enim ea agere, quae turpia, sibiq; alijsq; noxia esse, satis superq; noverunt, quotidie deprehendimus. Ita ebrietatem noxiam non minus quam turpem esse quis nescit? quotusquisq; tamen vitat? Et tritum est illud Medea apud Ovidium.

Video meliora proboq;
Deteriora sequor. -----

Quin & ipse *Apostolus* non modo scientiam, sed & voluntatem sibi adesse asserit bona agendi; & nihilominus mala admittere. Rom. 7. Galat. 5, & passim. Incontinentem igitur, etiam scientem peccare non dubitamus.

23. Ut breviter ad superius objecta respondeatur: Not: 1. Alios hic distingvere inter Actum Primum & Secundum; *Piccol. gr. 3. c. 16.* innuentes incontinentem scientia quidem habitum posse habere, at usu destitutum & quasi ligatum atq; impeditum, non secus ac in dormiente vel ebrio. 2. Consideratur incontinentem tribus temporibus; Ante factum, post, & in ipso facto: Hic quasi sopitam esse scientiam, ibi vero utrobique, claram adesse, a veritate alienum non est. 3. Scientia, vel pro certa & infallibili per demonstrationem acquisita notitia; vel pro qualicumque; ex sensibus & experientia collecta accipitur. Priorem acceptionem, ut minus absurdi habeat, *Socratis* opinio innuisse videtur. Et haec breviter de illa quaestione, plura vido apud *Piccol. cit. l. Heid. part. 2. Phil. mor.* aliosq;

24. Quæritur insuper, *Utrum incontinentia circa vene-*

rem & alimenta, an circa iram deterior sit? Hic argumen-
ta in utramq; partem satis speciosa sese offerunt; prius
asserit *Philosophus* hisce rationibus; 1. à simili; Ut mino
peccant servi ad mandata heri subito in cursum effusi,
priusquam quid iustum satis perceperint; quàm qui
scientes & volentes mandata egrediuntur; & canis
tumultu excitato etiam domesticos, priusquam atten-
dat, allatrans; minus reprehendendus, quàm magnitum
herum mordens. Ita etiam repentino animi fervore
ad vindictam ruens, excusabilior videtur incontinente
cupiditatum, qui rationem nec percipientem nec revo-
cantem audit. 2. à natura & proprietate; ille affectus
qui magis est naturalis minus peccat; sed ira, Juxta A-
rist: (quamvis Senecæ, cum Stoicis contrarium asserat) Est magis natu-
ralis quàm immoderata cupiditas; E. minus peccat.
3. Ab effectu; qui apertè agit, tolerabilior est eo qui
clanculum invadit & fraudibus utitur; sed incontinens
iræ, apertè invadit E. eo qui cupiditatibus indulget, tan-
quam Sophistâ & fraudulento, est tolerabilior. Et 4.
deniq; à communi hominum judicio seu signo: Si homines
majori odio cupiditatibus æstuentes quàm iratos inse-
ctantur; Sequitur illos hisce deteriores esse. Sed ve-
rùm prius; E. & posterius.

25. Cum a. probabilia tantùm sint isthæc argumē-
ta, & non minùs in contrariū, levi negotio retorqueri
possint, quàm pro Arist: sententiâ faciant: Quid poste-
rius quaestionis membrū præcipuè stabiliat, videamus.
Sit igitur hoc 1. ut minus turpè est à fortiori & potenti-
ori vinci quàm ab imbecilliori hoste; ita mino turpè est à
vehementiori affectu superari; Sed amor & cupiditas, est
efficacissimus affectus, cui difficilimè resistitur: Jux-
ta illud: *Amor vincit omnia.* Ergo incontinentia cu-

piditatis, minus malum est quam incontinentia iræ; cui facilius resistitur. 2. Illud vitium quod nobiliorem animæ facultatem inicit, turpius est quam quod majus nobilem. Sed ira nobiliorem animæ facultatem; Videlicet τὸ ἐπιθυμητικὸν, invadit; Cum cupiditas saltem τὴν ὀρεκτικὴν occupet, quæ ignobilior facultas habetur. E. incont: iræ quam cupiditatis est deterior. 3. Quod majus infert damnum, homines, quæ magis timent ac fugiunt, illud est turpius atq; deterius; Sed iræ incont: majus inferre solet damnum, (juxta illud Seneca nulla pestis humano generi plaris fuit: lib. 1. de ira c. 2.) magisq; timetur ac diligentius vitatur.; Et Et 4. idem quod in contrarium adductum fuit huc etiam applicari potest: nimirum *Ille affectus qui magis est naturalis, minus peccat*; Sed concupiscentia est magis naturalis quam ira; Ergo minus peccat, minorem probat ipse Arist: 3. Eth:

26. Sed cum utrinq; rationes tantummodò afferantur probabiles, & tanta sit circumstantiarum variatio, ut neutrum præcisè affirmare facile sit; Modò enim aliquis iræ incontinentiæ, modò cupiditatibus gravius peccat. Ideoq; & nos pro *objectorum diversitate, sine, effectu, alijsq; circumstantijs*, modò iræ, modò cupiditatum incontinentiam, deteriorem statuimus. Atq; sic argumentis utrinq; pro rata, suam robur non denegamus.

27. Quod quæri etiam solet, *An tolerantia sit idem quod fortitudo?* Ex antea dictis facile diluitur. Ut enim se habet continentia ad Temperantiam; Ita Tolerantia ad Fortitudinem. Illæ non specie sed gradibus differunt: ita & hæc. Tolerans difficilia, quæ & mala tristia, laudabiliter suffert; non tamen sine aliquâ animi ægitudine. Fortis autem etiam cum delectatione periculis aggreditur & adversa sustinet.

28. Frustranea igitur prorsus videtur quæstio, quæ à nonnullis movetur: *An Tolerantia, uti & continentia, aliquid difficultatis habeant?* Cum in eo præcipuè Imperfectæ & semivirtutes à perfectis differant: quod illæ cum aliis quâ difficultate, & appetitus renisu, hæ verò alacri animo & sine omni appetitus recalcitratione exercentur, Uti sæpiusculè nunc inculcatum est.

29. Dubium etiam hoc loco, de *semivirtutibus*, Arist. decidit; *An scilicet Bestia incontinentes vel continentes propriè dici possint?* Quod negat: & quidem rectè. Nulla siquidem in illis est, propriè dicta, ratiocinatio, ideoq; nec rationis & appetitus lucta esse potest; qualis in *continenti* & *incontinente* omninò existit. Ita V. g. cum ratio dicitur: *Omnia voluptes turpis; esse peius & angere sibi fugienda;* Scortatio, commestatio &c. est voluptas turpis; *Esse peius & angere fugienda.* *Majorem prop:* qui vis etiam incontinens nec ignorat nec negat. Sed minorem affectu & pravâ concupiscentiâ victus, posthabet, negligit, & oblivioni tradit. Qualis discursus in brutis cum non reperitur; Ideoq; nec pugna rationis & appetitus: Et consequentè proinde nulla vera *continentia* aut *incontinentia*.

30. Sin oggeratur; *Canis tamen prohibente hero, vel obstante aliquo cum baculo, ab escâ abstinet, in quam aliàs continuo ruiturus esset: Ideoq; hic lucta aliqua, appetitus, & ratiocinationis esse videtur; qua dicitur; Satius esse ac tolerabilius esurire quàm vapulare.* Sed Respond: Quod abstineat & sibi temperet, non à ratione vel ratiocinatione esse, quæ in cane nulla; Sed simpliciter à metu, & reminiscentiâ. Verbera enim metuit, quod eadem molesta esse, & corpori agrè facere reminiscatur. Et sic quoq; de aliis.

31. Tandem ut promissi memores, de naturali ad virtutem inclinatione, aliqua dicamus, perpulchram istam quæstionē, *An homo per naturâ ad virtutem, vel potius*

ad vitia sit proclivior? à Piccolom: grad: 3. e. 4. 6. 7. 8. & 9.
fuisse tractatam, paucis at perspicue, perstringemus.
Posterius adstruunt hæc rationum momenta: 1. Sensus
ipsi, qui voluptatem nunquam non amant ad vitia quam
virtutes nos procliviores esse edocent. Cum esca quæ
dam vitiorum, sit voluptas, ut Plato pulchrè monuit. 2.
Huic vicinum est, quod omnes homines ardua ac diffi-
cilia naturalitèr vitent; facilia autem & quæ in prom-
ptu sunt potius confectentur. Sed virtutis via ardua est,
ut canit Virg. de lit. Pytag: alibiq; facilis descensus a vernis
Sed revocare gradum superasq; evadere ad arces,

Hoc opus, hic labor est. - - - - -

Mille autem ad vitia semitæ. Sicuti in circulo, unica tantum linea, (vel transversim duæ) per centrum; Extra centrum verò infinitæ duci possunt. Ita virtutis trames unicus: vitiorum a via & præcipitia innumerabilia. Ideoq; & facilius attinguntur. 3. Autoritas veterum Philosophorum idem svadet: Ita Plato hosce antiqui Poëtæ versus vehementèr probat.

Mortales vitium penitus labuntur in omne

Præcipientes, quoniam facilis via ducit ad ipsum

Hoc quia vel nobis jam tum nascentibus hæret. &c.

Ita & Seneca, cum alijs Stoicis pravam inclinationem omnium primò vincendam statuentibus ait, Multos rexeris, si ratio se rexerit; magnum imperium regit qui sibi dominatur. Fortior est qui cupiditatem vincit quam qui superat hostem. Quo etiam tritum distichon facit:
Una cum dicto sapientis.

Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit

Mania: nec virtus altius ire potest.

4. Hisce accedit & S. Script: Genes. 6. omne figmentum cordis humani tantummodò malum est ab initio. Et Paul: sup: cit. Rom. 7. &c. 5. Quin imò si quis in se ipsu

descendit

descendat, quàm ægrè à vitijs abstineat faciliè ex-
perietur.

32. Quod tamen homo ad virtutem magis per natu-
ram inclinet; hisce & similibus probari potest: 1. *Qua-
lis causa, talis effectus*: Atqui homo non tantum effectus est
summè & per essentiam BONI, cujus omnia opera bona;
Verùm etiàm ad ejsdem BONI, ipsius videlicet, creato-
ris, imaginem conditus est; E. ad bonum & virtutem,
non verò ad malum seu vitia, per naturam inclinatur. 2. *Si
natura optima & provida mater, DEIq; famula cetera omnia, in
suo genere perfecta generat, ad congruentem finem dirigit; Ut
cuncta sui perniciem & interitum quantum possunt, evitent atq;
declinent; conservationem verò sui studiose querant; multò
magis id in homine nobilissimâ creaturâ efficiet.* Et per con-
sequens non ad vitia sed virtutem eundem inclinatur. 3.
Cui affinis est, ille *Philosophi discursus*; Materies etiam
à Deo longissimè distans, divinum expetit bonum. *L.
Phyf: 80.* Quanto magis igitur homo, omnium mortalium,
præstantissimus, Deoq; proximus, quomodo ad opti-
mum, maximè omnium non erit facilis? *Res enim quò
propinquiores sunt fini, eò velociùs per naturam in eum tendunt,
vehementiusq; illum expetunt.* 4. *Et mens & ratio hortatur ad
optima*: Quippè illa divinum quid est. Unumquodq;
autem naturalitèr ad se præstantius tendit; Unde &
homo ad virtutem naturâ magis inclinatur. 5. *Ut se ha-
bes homo ad scientiam, ita etiam ad virtutes*: Sed homo naturâ
scire desiderat: Ergo etiam virtutem colere.

33. Brevitèr; multa eaq; non levia in utraq; par-
tem adferri possunt. Unde etiam viri magni in diver-
sas planeq; contrarias hic abierunt sententias. *Stoici
hominem ad solam virtutem naturâ proclivem esse des-*
fer-

fenderunt. *Galenus* cum suis sectatoribus mores, i. e. virtutes aut vitia ex temperamento & corporis constitutione dependere putarunt. *Astromorum* multi, inclinationem hominis ad bona vel mala ex motu corporum cœlestium, astrorum positu, planetarum dispositione, aliorumq; syderum aspectu profuere statuerunt. Unde tritum illud; *Astra inclinant, etsi necessitatem non inferant.* Sed hæc omnia quatenus aliquid veri continent & non incommodè conciliari possint, vid: Piccol; cit: gr: 3. c. 8. & 9. Hoc saltem addo, unde etiam difficultas & tota controversia facile solvitur; Nimirum si consideretur homo ratione primæ creationis, & status innocentie in quo ante lapsum fuerat, quin maximè ad virtutem proclivis fuerit, nullatenus dubitamus. Sin autem uti nunc est post lapsum, in statu peccati, quatenus iræ filius, juxta allata scripturæ dicta, ad malum & vitia maximè propendere, dolendum magis quàm inficias eundem esse arbitramur. Prima enim vitiorum origo, non corpus aut caro est ut Plato alijq; Philosophi existimarunt; *Anima n. peccans carnem fecit corruptibilem.* ut ait Augustinus lib: 14. de civit: Dei. Sed de hisce Theolog.

Ac tertium hæc vice de presenti materia.

COROLLARIUM.

Lingva Suevo-Gothica originalis est. 1. Quia proprias literas, Runicas videlicet, habet. 2. Ex aliâ nullâ, nisi fortè in paucis dictionibus, deduci potest. 3. Sed ex eadem complures aliæ lingvæ manifestè derivantur.



COLLEGII ETHICI
DISPUTATIO DUODECIMA
ET ULTIMA

D E
VIRTUTE HEROICA

Respondente SAMUELE NICOLAI FRISIO Austro-Ven.

Thesis Prima.

In superioribus de *Virtutis moralis* naturâ, tùm in Genere, tùm in Specie actum fuit. Quamvis enim in hac imbecillitate & corrupto hominis statu, omnimodum affectuum, secundum rectâ rationem, moderamen assequi difficilimum, ideòq; rarissimum sit; *Virtus* tamen cognoscenda est, ut quantum amiserimus quantumq; ambiamus, & vicissim speremus, intelligatur, & aliquo usq; ad id ipsum rursus etiam enitatur, ut Persius canit:

Est aliquid quò tendis, & in quo dirigis arcum.

Velut autem in proximâ disputatione de gradibus virtutum & imperfectis seu *Semi-virtutibus*, quæ ut faciliores ita frequentiores, aliqua proposita fuere; Ita nunc quoq; de *Summo virtutum gradu*, in heroicâ Excellentia & præ eminentia, quæ omnium rarissima (præsertim si collectivè respectu singularum & universarum virtutum intelligatur), aliqua etiam dicenda veniunt.

--- -- -- -- *Ut finis coronet opus.* --- --

2. Heroica virtus, etiam si quoad nomen variè deducatur, uti apud *Piccoloni: Cap. 1. gr. 8. Consider: Philos: Morali: Part. 2. Sc.* aliosq; videre est; Proximè tamen ab Heroibus, i.e. viris eminentibus, quos antiquitas *Semideos*, vel ex dijs genitos statuit, nomen sortitam esse manifestum est. Vid: *Sexti: Arel: vict: de prig: gen: Rom.* Heroica enim dicitur quòd non in quemvis cadat, sed in paucissimis rarissimæ & eminentis conditionis reperiatur. Aliàs *virtus cum excellentiâ; Eminentia & splendor* virtutis, nec non *divina virtus* dici assolet.

3. Unde etiam *Heroica Virtus* a. odò latè sumitur pro Excellentia cujusvis virtutis, etiã dianœtica; quo sensu *heroës*, quilibet vel excellentèr in disciplinâ aliquâ aut arte periti & exculti, appellari poterunt: vel *strictè* pro eximiâ excellentiâ in virtute aliquâ practicâ, non vulgari: Vel *strictissimè* & nimis pressè, pro fortitudinis tantùm aut *magnanimitatis Eminentia*. Ut jam de abusu, quo vitia sæpè ab adulatoribus in herôicas virtutes specietenus transformantur, nihil dicam.

4. Est igitur *Virtus Heroica*, in mediâ acceptione & propriè sumptâ, nihil aliud quàm *divinitus collata promptitudo magnæ actionis, circa cujusvis virtutis objectum, ultra quàm vulgaris hominum conditio fert, alacritè & felici cum successu obeundi*. Qualem cuilibet concessam non esse experientia satis ostendit: Unde & herôica facta à communis fortis hominibus præstari nequeunt, & proindè à quibusq; temerè imitanda non sunt; *Ut trita regula monet.*

5. *Ejusmodi herôicas virtutes in rerum naturâ dari, non est quod multis comprobetur.* Cum id res ipsa, omnis historia & quotidiana vita demonstret. Quosdam videlicet aliorum summâ cum admiratione & stupore, ea felici-

feliciter & virtuosè promptissimèq; expedire, quæ alijs ne aggredi quidem auderent, aut inchoare saltem prospere possent. Hinc in sacris Gigantes & Herôes, hinc in nostris Historijs antiquitus Pugiles; hinc etiam secundum Præceptum Pythagora in aureis carminibus, de heroibus honorandis:

τιμῆ, καὶ σέβῃ ὄρον ἐ'πειθ' ἠρώας ἀγαυὸς; &c.

6. Nec obstat, quòd gratia & concursus divinus in enjurois virtutis exercitio requiratur; Unde omnes etiam aequè heroica dicenda videantur: Nam Respond: distinguendo inter generalem seu universalem, & particularem seu specialem DEi concursum. Generalitèr quidem in quavis actione Deus concurrat; siquidem in ipso vivimus moveamur & sumus, ut loquitur Apost: Act: 17. Specialitèr autem ubi generi humano, genti, populo, urbi, familiæ peculiari facinore, mediante insigni huic vel isti individuo concessâ virtute prospicit, Specialissimè & singularitèr gratiosâ cooperatione suis fidelibus adest. Divinitus verò concessâ dicitur heroica virtus, quòd nullus unquam vir magnus extiterit sine afflatu divino, ut Cicer. loquitur; i. e. specialibus donis, quæ communem hominum sortem excedunt.

7. An verò etiam heroica virtus in mediocritate consistat? Apud Ethicos quæri solet. Ratio dubitandi hæc esse videtur, quòd Virtus heroica, uti supra positum, sit Excellentia quædam & Eminentia virtutis; ideoq; ἀκρότης sive extremitas & summus apex, potius quàm μέσότης sive mediocritas & mediocritas dicenda. Resp: Deciditur autem quæstio applicatâ distinctione inter considerationem quæ fit respectu extremorum, in quâ mediocritatem esse, & (sicut & cæteræ virtutes) in medio sitam, minimè

ambigi potest; Atq; inter *Considerationem* intuitu *Eminentis perfectionis* factam, quæ *Heroicam virtutem* ἀρετήν etiam esse facile evincit. Sed cum diversus respectus omnem tollat contradictionem. Clarum etiam est, nihil inde absurditatis sequi: Etsi hæc consideratione ἀρετήν, illâ verò μεσότην esse heroicam virtutem admittamus.

8. Ex illius quæstionis resolutione, facile etiam declaratur alia affinis; *An heroica virtus potius sit virtus ipsa, an verò excellentia & affectio tantum virtutis dicenda sit?* Resp: enim ex eodem fundamento, quatenus scz. medium laudatissimè, inter duo vitiosa extrema tenetur, virtutè esse & rectè appellari: Ratione a. eminentiæ & magis collativè seu relatè ad communes virtutes, *Eminentia & virtutis quædam splendida affectio seu exaltatio & sublimitas* dici meretur.

9. Hinc vicissim lumen accèditur illustrandæ quæstioni pertritiæ; *An Heroica virtus à communi virtute moralis specie differat?* Pro affirmativâ pugnare poterunt hæc rationes: 1. Si *Liberalitas & Magnificencia, Modestia & Magnanimitas*, quæ circa eandem materiam occupantur, eandemq; formam habent, & gradibus saltem differunt; specie omninò distingvi rectè statuuntur. Eodem etiam jure, *Communis virtus & Heroica*. Sed verum est prius, quod supra suo loco allatæ rationes stabiliant, & clarissimorum virorum autoritas insuper confirmat. E. 2. Ex virtutes quæ causis, *Finali nimirum, efficiente, & materiali seu subjectis, itemq; adjunctis, gradibus, & effectis sive successu differunt; Specie omninò distingvi dicenda. Sed Heroica virtus, & communis, istis modis differunt; E. specie disting.*

10. *Minor seu assumptio* probatur (major enim propositio

stio

sitio sat evidens est), quia *Finis* communis virtutis est, actiones humanas qualvis disponere; Heroicæ verò eminentiores, & communem hominum sortem super egredientes. 2. *Efficiens* communis virtutis est exercitium, vires vulgares & actiones hominum; *Heroica causa efficiens* est peculiaris afflatus divinus. 3. *Materia seu subjecto*; communis virtus in pluribus subjectis reperiri potest, sicuti etiam in communioribus objectis enitefcit. 4. *Adjunctis & gradibus*; *Communis virtus* minus habet excellentiæ & admirationis; Heroica verò magis; admirabilemq; hæc præ illâ constantiam requirit. Et 5. demùm *Effectibus & successu*; *Communis virtus* languidior & tardior est; *Heroica* fulguris instar per rumpens, quævis obstantia sternit, & laudabili exitu semper coronatur. Unde specifica differentia satis firmiter adstrui posse videtur.

ii. Contraria tamen sententia verior; 1. Ex per vulgato & firmo fundamento: Magis & minus non variant speciem, i. e. major Excellentia seu gradus in bonitate & præstantiâ, specificam differentiam non inducunt. Hic autem est gradualis saltem differentia, seu per magis & minus; quod ex oppositorum dilutione dispalescet: Ergò hic scilicet inter *Communem & Heroicam virtutem* specifica differentia non est. 2. Si *Heroica virtus* nullam novam virtutis speciem in novâ aliquâ materiâ exhibet; Sed antea declaratas ad sublimiorem gradum evehit, sequitur non specie, sed gradu tantum differre: At v. p. E. & post.

12. Ad objecta igitur *Resp. Assumptionem seu minorem* propositionem in priori argumento negando; ad probationem sufficienter in superioribus ubi de allegatis

virtutibus actum fuit Disp. 8. Th. 29. & Disput. 9. Th. 31. & 32. responsum est, in altero argumento varius est Paralogismus. Resp: enim 1. ad majorem, eam non esse simpliciter veram per omnia membra. Nimirum quæ finibus, efficiente, gradibus, effectis &c. differunt; Ea mox specie differunt: Id enim minimè procedit; cum etiã ejusdem numero rei, seu *unius individui* diversi esse possint fines; & singuli homines etiam si specie conveniant, & unum sint, efficientibus tamen causis proximis ut plurimum differunt, nisi germani sint ex iisdem sz. parentibus prognati. Neq; illud de subiecto quiequam facit; cum etiam fortitudo, temperantia, justitia &c. in hoc homine major, in illo minor, quæ tamen ab invicem specie differre absurdum, & sic consequenter de cæteris. Sed transeat tamen illa propositio.

13. Ad *Assumptionem Resp.* per singula membra eundo: Sic 1. Finis est unus & idem *Virtutis communis & Heroicæ, videlicet beatitudo* seu felicitas civilis. 2. Causæ itidem Efficientes eadem, *Natura, cura, & concursus divinus*; licet ibi vulgarior & obscurior, hic manifestior & evidentior. Diversus autem modus, diversam speciem non inducit. 3. Ad Materiam seu subiectum jam responsum est. 4. & 5. Cætera verò effectus varios, *adjuncta, gradus, & successus* aliq; variantia, ne numericam quidem, nedum specificam differentiam inducere manifestissimum est. Siquidem gradus speciem non variet; Idemq; individuum, modò has modò illas circumstantias recipiat. *Heroicam proinde virtutem à communi virtute morali, non specie sed gradibus tantum differre, constanter tenemus.*

14. Constituto sic Heroicam virtutem eminentio-

rem

rem saltē gradum esse communis virtutis; Non in-
competentē hic quæritur: *Anne ergo in omni virtute
moralis talis eminentia, i. e. virtus Heroica inveniatur & locum
habeat?* Resp: breviter: Etiam si gradus in omni virtu-
te (in actu potissimum exercito, ut Metaphysici lo-
quuntur, i. e. quatenus in hominibus inveniuntur) oc-
currat, atq; ita quoq; heroica quædam Eminentia lo-
cum sibi vendicat; In illis tamen virtutibus quæ majore
difficultatem & splendorem secum habet, Heroica
virtus præcipuè agnoscitur solet. Utpotē in *pietate, justiti-
a, magnanimitate, magnificentia & fortitudine &c.* In mi-
noribus virtutibus, ut *Veracitate, comitate &c.* tam il-
lustri splendor adeo adverti non potest.

17. Quæri etiam solet; *Anne Heroica virtus sit necessa-
ria?* Ad quam quæstionem ut ritè respondeatur, di-
stinguendum erit inter *singula individua & speciem huma-
nam*, vel potius Resp. societatesq; majores. His utiq;
necessaria est, cum regna, resp. urbes & ipsa ecclesia ade-
oq; majores societates heroum ope & auxilio sæpissimè
necessario indigeant: Illis, *Singulis videlicet individuis*, &
cuiusvis homini, *necessaria non est virtus Heroica*, ut eam pos-
sideat; siquidem etiam vir bonus esse possit, quamvis
Heros non sit. Atq; ita diverso respectu & *non necessaria
a & necessaria* dici potest.

16. Quoad specialius Heroicæ virtutis subjectum,
quæri etiam solet; *Anne pueris merito tribui possit.* Ne-
gativam svadent iudicij immaturitas, viriumq; imbecil-
litas &c. Affirmativam verò Exempla varia, *Davidis*
in adolescentiâ pueritiæ proximâ ursum & leonem tru-
cidantis; *Alexandri M.* Heroicum responsum apud
Curtium lib. 1. & similia evincunt.

17. *Respondetur igitur, virtutem Heroicam etiam in pueros cadere, inchoativè, i. e. quoad indolem & δι' ἐλ-
wid' α, quoad spem, ut loquitur Aristoteles. Perfecti-
vè autem i. e. ut virtus perfectè insit heroica pueris, &
ritè exerceatur, rarissimum; Imò vix ac ne vix qui-
dem possibile, nisi Deus peculiari instinctu, non so-
lùm extra ordinem, sed & miraculose aliquid egerit.*

18. Præterea de foemineo sexu frequentissimè agi-
tatur quæstio; *An & huic Heroica virtus jure assignari que-
at? Pro negativâ sic pugnari potest: 1. Heroica virtus
requirit temperamentum siccum & calidum, Cor compactum
& spirituosum. Sed hæc foeminis vix unquam, aut rarissimè,
competunt; Siquidem humidioris & frigidioris
semper fiat naturæ. E. Heroica virtus eisdem tribui ne-
quit. 2. Heroica virtus magnam requirit constantiam, At
sexus foemineus constantiâ destituitur, levior & timidior
est. E. Heroicæ virtutis minimè capax. Major est evi-
dentissimâ: Minor tum experienciâ, tum autoritate
probatur, utpotè Poëta:*

--- -- -- -- -- *Varium & mutabile semper
foemina. --- -- -- -- -- & similia.*

19. Verior tamen est sententia affirmativa; quòd
etiam foeminæ sint heroicæ virtutis capaces: Tum
quòd virtus quævis in genere homini competat, *nec cen-
sum nec sexum respiciens aut excludens.* Jam verò foemi-
næ etiam sunt homines; Item & heroica virtus est etia
am virtus: E. hanc etiam illis tribui nihil vetat.
Tum quòd *stultum sit manifesta experientia reclamare, &
id quòd clarissima exempla evincunt in dubium voca-
re, ne dicam inficiari.* Virtute autem Heroicâ prædis-
tas fuisse foeminas, ex *Sacrâ* non minùs quàm *pròphanâ*
historijs, & adhuc etiam modernâ experientiâ eviden-
tissimè

tissimè constat. Ità *Debora* & *Isàel* heroicà fortitudine, *Abigail* prudentià; *Semiramis* utrâq; emicuit. Notæ *Amazonum* heroinæ reginæ; Notæ & aliæ de quibus supra disp. 6. de fortitudine th. 13. Nec immeritò *Margaretam Danicam* Regis Svec. Magni Sues. nurum.; *Elizabeth*: Anglic. huc referimus. Heroicam autem prudentiam animiq; magnitudinem & magnificentiam Serenissimæ atq; Clemetissimæ nostræ Reginæ moderatæ CHRISTINÆ AUGUSTÆ, devoto potius silentio veneramur.; quàm hic multis exaggeramus. Heroicam igitur virtutem huic sexui planè denegandū non esse satis est manifestum. Cum etiam oppositum feritas in eundem cadat.

20. *Superius objecta breviter sic refelluntur*: 1. Temperamentum humidius & frigidius, quamvis in fœminis vulgaritèr reperiatur; quin tamen etiam interdum fœminæ calidioris naturæ, atq; ita quasi virili temperamenti; sicuti è contra viri frigidi, humidique adeoq; effeminati (Germani Siemannos vocant) inveniantur, nullatenus dubitandum. Cum id res ipsa edoceat. Atq; ita Assumpt. seu Min. Prop. prioris argumenti non est univèrsaliter vera. 2. Ad 2. dum argumentum pariter respondetur Assumptionem particularem esse, cum multæ reperiuntur fœminæ constantes, animosæ & prudentes. Probatio seu autoritas Poëtarum aliorumq; de vulgo fœminarum loquitur, quas diu pondus habere, debitam constantiam servare, adeoq; heroicæ virtutis capaces esse, nec nos asserere, audemus. Aliquas autem heroínas reperiri & repperas esse, jam probatum est.

21. Quæritur etiam hic *An heroica virtus in solis pijs, & vera Ecclesia membris reperiatur?* Simpliciter affirmantes sic concludere possunt. Excellentissima virtus so-

lis pijs & verè Christicolis tribui potest, Heroica virtus est eminentissima. E. Respondetur tamen, excellentissimam quoque virtutem, scilicet in suo genere, in Ethnicis, *Cyro, Alexandro M. alijsq;* fuisse, ideoq; & virtutem heroicam; quamvis comparatio si instituatur ulterior, *Christianorum virtutes*, utpotè puriores, longè eminare haud negandum.

23. Sed *An Martyres inter heroes referendi?* hic etiam disquiritur. Verum quoniam sup. Disp. 6. h. Colleg. th. 21. & 22. Fortes eisdem esse asseruimus; *Fortitudo autem Excellens, heroica virtus est;* Per se manifestum evadit, nos quoq; defendere martyres, qui inflexi animi constantiâ & alacritate fortiter & laudabiliter, in vera fide minimè vacillantes, cruciatus sustinent, non injuriâ etiam heroes appellari posse. Ità tamen, ut non quosvis etiam Martyres, sed *celebriores tantum*, in quibus præ alijs magnitudo & præsentia animi, aliorum etiam cum admiratione emicuit, heroum albo inseramus. *Quales Apostolus Petrus, Laurentius, Iohannes Huss. & similes.* De Angelorum *Heroica virtute* nihil addimus; Cum hic de humanis saltè virtutibus agatur.

24. Neq; multis opus est ad probandum etiam in *ijs qui extra legitimum thorum concepti sunt heroicæ virtutes resperiri*: Cum idipsum exempla quam plurima heroum illegitimè natorum, tam ex sacris quàm profanis confirmant; Ità *Iephthæ* Judic. 14. *Hercules*, qui virtutibus se dijs æquavit; *Themistocles, Homerus, Romulus;* & de *Alexandro* pater etiam *Philippus* dubitasse videtur; quia etiam *Alexander ipse Philippum* patrem tandem non agnovit. *Demosthenes* quoq; simile nascendi principium habuisse fertur. *M. Brutus* omnibus virtutum numeris absolutissimus *Iulij Caesaris* spurius fuit, Quin & *Con-*
stanti-

stantinūm M. huic classi quidam accensent ut jam plura non accumulemus exempla. quid igitur prohibet, quin DEo humilia exaltante, animi corporisq; vigore suppetente; summo studio & contentione accedente, etiam illegittimè nati per legitima media heroicæ virtutis participes evadant, atq; ita Heroës fiant.

15. Quærunt hic alij, *An omnibus temporibus & aetatibus heros inventi sint?* Sed hæc quæstio *historica* est, non *Ethica*. Quærunt etiam, *Cur heroës post eximia gesta, sæpe graviter labentur?* Item, *Cur Tragicos sæpe & funestos exitus habeant?* *Cur heroës sint γυναικον κοραϊστικῶν?* Ad eodq; *Cur sæpe heroum filij noxa?* Verùm hæc quæstiones quia partim *Physicis*, partim *Astrologicis*, partim *Politicis*, partim etiam *Poëticis*, nec non *Theologicis* rationibus deciduntur. Non minus commodè alibi tractantur, aut etiam, si pagellæ admittant, corollariorum loco, appenduntur.

26. *Opposita heroica virtutis itidem duo sunt, alterum in excessu quod feritas dicitur; alterum in defectu, vel proprio nomine destitutum;* vel *περὸς τὸν ἥρωα heroica virtutis super, ignavia & ineptitudo* dici potest.

27. *Feritas, græcè ὄργιστος à brutis seu bestijs & feris nomen habet, quasi bestiale vitium dixeris;* in hoc tamen feritas hominum bestialitate deterior; quod bestię rationis sint expertes, deniq; *vitium, propriè & ἔσθιε* loquendo, non admittant. Hominum autem feritas rationem non negat vel excludit, sed negligit, non audit, sed conculcat. Est igitur vitium heroicæ virtuti in *Excessu* oppositum, quo omne melioris rationis lumen suffocatur, & ad scelera quævis immanissima, homo ferus grassatur. Cujus exempla aliquot th. penult. Ergast. virt. posita sunt.

28. *Stupor seu lentitudo, vitium heroicae virtuti in seipso
oppositum; quo ad omnem virtutis impetum quis se ineptum
reddit.*

29. *Si quaeratur, Utrum horum vitiorum deterius?
Resp. Feritatem, utpotè quæ pluribus noceat, (activa n.
est) deteriorem; Stuporem verò illum, licet aliàs per
se pessimum, quòd reip. proximo, ipsiq; subiecto, os
mnam virtutis fructum subtrahat; quatenus tn. detri-
mentum comittendo non infert; tolerabiliorè videri.*

*Et hæc ità breviter de præcipuis controversiis circa hanc virtutem
heroicam considerandis, Nunc Corollaria quædam,
breviter etiam subiungemus.*

COROLLARIUM.

I.
EX Historijs: Heroës suas ha-
bent periodos. *Ita successivè, heroës
& iudices in populo Israëlítico se consequuti sunt. Et
Heroës sive Gigantes & fortes Davidis contempora-
nei fuere, 2. Reg: 23. Heroës, ut ità dicam, in Phi-
losophia, Socrates, Plato, Aristoteles; &c. Fer-
mè contemporanei fuere. Homerus & Hesiodus
quadringentis ante Herodotum annis vixerunt. Du-
illius, Manius, Curius, Cajus Fabricius, Attilius
Calatinus, Cn. & P. Scipiones, Africani, Mar-
cellus, Fabius Maximus, quos Clarissimos urbis*

Consules Cicero nominat, se invicem fermè contigē-
 runt. Sic Poëta lat: Virgil: Ovid: Horat: simul..
 Statius & juvenal. Martialis simul vixerunt. Sic
 Jcti Rom: eodem tempore floruerunt, fermè omnes
 Papiniani auditores: Tarruntius Paternus, Ma-
 cer, Terentius Clemens, Menander, Archadius, Ruf-
 finus, Papyrius, Fronto, Anthius, Maximus, Her-
 mogenianus, Africanus, Florentinus, Tryphonius,
 Julius Calistratus, Venulejus Celsus. &c. Ità eti-
 am si propinquiora respiciamus tempora, Excellentes
 & illustres Poëtas, Philosophos, Jctos &c. iisdem
 fermè seculis in Italiâ, Germaniâ alibiq; floruisse ob-
 servabitur. In nostra Patriâ Gigantes quondam su-
 am habuisse periodum, admiranda in montibus &
 passim monumenta testantur. Starchatero Gi-
 ganti Sveco, qui circa initium Epochæ Christianæ in
 his terris vixit, contemporanei fuerunt heroës plurimi;
 inter quos Vicharus Norveg. R. ab eodem victus;
 & Russia R. Floccus, itidem superatus. Athle-
 ta Biarmenses. Visinnus Russus; Valche seu Valsa
 Polonus: Hama Saxo itidem ab ipso delicti. For-
 tissimi Haldani amicitiam coluit. Novem Pugi-
 les in Norvegiâ prostravit. Olonem etiam ter-
 ribilem, utcumq; e medio sustulit. Ut nunc de nume-
 ro pugilum & heroum qui in campis Bravellinis in-
 comparabili bello, inter Haquinum King Sveciæ

Regem & Haraldum Hildeland Denic, à parte Danorum 68, à parte Suec. 93, interfuerunt, jam nihil dicatur. Legumlatores etiam iustitie antistites & Heroës qui primi jura Suecis, Gothis, Helsingis &c. dederunt; Circa idem fermè tempus floruisse, styli seu genius lingue aliq; circumstantia inueniunt. Causa verò quòd Heroës modò in hac modo in illa facultate, fermè simul floreat; inter alias non postrema Emulatio videtur. Quàm ferax verò heroum fuerit seculum presens, Patria nostra sago togaq; Arte & Marte, commodiori occasione, ubi de illustribus viris: Sueciæ, Gothiæ, Fenningiæq; agere licuerit, Deo annuente, exponetur.

II. Magni Heroës sæpè post egregia gesta labuntur & tragicos exitus habent.

1. Tum quòd nil inter sublunaria stabile summæ rerum arbitrar esse voluerit; Sed omnia cum ad summum pervenere subito vicissim deorsum feruntur, & velut in orbem redeunt.

2. Tum quòd secundâ fortunâ, quàm a quo animo ferre difficillimum, inebriati, elati & fascinati, facile precipites aguntur.

3. Nemesis etiam Divina; quòd ob antegressa peccata, in perscrutabili Dei judicio, auxilium Cœlestè subtrahatur.

4. Nec parum facit quòd

in

in magnis & arduis negotijs occupentur, ubi lapsus non minus proclivis; quam periculosus & notabilis. Plura Heiderus & alij.

III. Heroës militares, seu bellicâ virtute præstâtes, non rarò mulieribus multû indulgent.

Ità *Simson* delilæ indulgit, *Hercules* *Omphalæ* servivit; *Ninus* *Semiramidi* paruit; *Marcus Antonius* *Cleopatraz*, alij alijs nimium sese submiserunt. Causa videtur maximè adæquata, quòd calidioris sint temperamenti, corpora gerentes solida, sanguine & spiritibus abundantia; ut plurimum enim sanguinei sunt; qui ad venerem naturalitèr procliviores. Ideoq; & uxoribus, quarum amantiores sunt, plus indulgent. Cætera rationes, quæ affecti solent; magis in coniecturis positæ & è longinquo positæ videntur.

IV. Heroum filios noxas esse, tritum est Proverbium; & non

perpetuò veriverbium. Habuit enim *Adamo* non tantum impium *Cainum*, sed & optimum *Abelem* & *Sethum*; Optimus *Abrahamus* *Isaacum* Patrizantem; *Isaacus* non modò *Etaum* perversum; sed & laudatissimum *Iacobum*, Cui non tantum *Ruben*, *Simson*, *Levi* incestuosi & maligni, verum etiam *Castissimi*, Deo hominibusq; acceptissimus *Iosephus*, & fortissimus *Iuda*, contingit. *David*, non modò stultissimum *Abolonem* quin etiam prudentissimum *Salomonem* filium invenit.

Et

Et sexcenta ejusmodi: Verùm ne longè nimis retrospiciamus; Nonne heros toti orbi admirabilis. Gustavus I. Rex Svec. Plures etiam Heroës filios reliquit, inter quos Carolus IX. Natus minimus, gestis & meritis haud minimus. Hic vicissim heros genuit, quo sol majorem non aspexit, GUSTAVUM II. & M. qui quantum defecit filium non relinquens, tantum profecit, filiam quovis filio majorem, posteritati donans, in qua natura, cura, ars & industria, quantum ab homine, etiam in illo sexu præstari possit, simul & semel experiri voluerunt. Sapissimè igitur contingit herorum liberos anchoras, asyla, turrets & propugnacula esse. Quod verò interdum noxæ evadant, præcipuam causam existimandum in malâ educatione & adulatoribus, quibus seducuntur. Parentes publicis negotijs distenti, Præceptoribus & aulicis liberorum curam committunt. Qui ubi omnia ad gratiam, pauca ad utilitatem discipuli referunt: quem informare debuissent, deformant. Ex primâ enim institutione, reliqua fermè vita dependet.

Atq; hic præsentis Collegij

Finis esto.

Soli DEO Gloria;

In Sempiterna secula.



APPENDIX
COLLEGII ETHICI
DE
AMICITIA.

Respondente JONA PETRI SECT. SUDERMANNO.

THESIS I.

NON pauci Ethicorum, *Aristotelis* ductum sequuti, in *Ethicis* etiam, circa calcem potissimum, de AMICITIA agere solent; unde mox hic in limine Discursus Quæstio oboritur; *Anne id rectè fiat nec ne?* Pro *Negativâ* sic argumentari licuerit: *In Ethicis de virtutibus moralibus agendum est; Sed Amicitia non est virtus moralis; Ergò de eadem in Ethicis non est agendum.* Major est clara; Ethici enim præcipuè & solius, in circo Philosophico, est de moralibus virtutibus absolute agere. Minor probatur: *Affectus* namq; potius est, virtutis fructus, inter externa bona connumeranda; inq; aliorum potestate; & paucis competit. *Vid. fascic. quæst. Eth. Sect. 2. memb. 7. q. 11. E. Amicitia non est virtus; & per consequens nec Ethicæ considerationis.*

2. *Affirmativa* hisce nititur fundamentis: *Quod ad felicitatem facit; in bono solummodo viro invenire est, adeoq; in actionibus humanis ducem rectam rationem sequi potest; illud in Ethicis planè non negligendum.* Sed *amicitia est talis*. E. Major est manifesta; siquidem *felici-*

tas seu *Beatitudo* est totius *Ethicae* finis & scopus generalis, quò omnia in illâ disciplinâ referenda. Nec vera amicitia nisi inter bonos intercedit. In *actionibus* autem eam elucere, rectâq; ratione informari debere cuius in propatulo est, ideoq; etiam consequenter ab *Ethico* consideranda.

3. Ad objectionem pro *Negativâ* in *Thesi* 1. allatam, Respond. 1. ad *Major*. In *Ethicis* non tantum de *virtutibus* verum etiam de virtutum causis, objecto, subiecto, & fructu agendum esse. Deq; illis quæ aut virtutes sunt, aut virtuti maxime affinia: qualis est amicitia. 2. Ad *Minorem* responsum jam est in *Thesi* secunda; eam nec simpliciter veram esse, cum etiam sano sensu *Amicitia* virtus dici possit; Quatenus à rectâ ratione & verbo *DEI* non tantum præcipitur, verum etiam dirigitur. *Conf. Sup. cit. q. 11, memb. 7. Sect. 2. fascic. controuv. Ethicarum.* Amicitia enim ut ait *Piscol. gr. 7. s. 1. ex Arist. 8. Nichom.* Aut virtus est, vel cum virtute copulata. Atq; ita manet haud absurdè nec incompetenter etiam in *Ethicis*, si non directè attamen consequenter & appendicis Loco, de *Amicitia* tractandum esse.

4. Verum ut & hæc quæstio & sequentia adhuc dexterius percipiantur, initio ritè notandum venit, quid nomine seu voce amicitia intelligatur; siquidem inter *πολύσημα* est & pluribus modis accipitur.

Nunc enim latissimè sumitur, pro quavis rerum naturalium etiam inanimatarum vel vegetantium vitam solum viventium congruentiâ & mutuâ complacentiâ seu benignâ inclinatione; alias amor naturalis *Physicis* & *Græcis* *συμπαθεία* dicitur; qualis est inter magnetem & ferrum; resinam & paleas; oleam & vitem atq; similia; Nunc latè pro *Societatis* appetitu in-

ter

ter bruta; Ita Grætus Pœta inquit, *τέρως ἢ φίλος*
Φίλος, μὴ μὴ δὲ φίλος. Nunc strictè pro mutua
 benevolentia inter homines, sivè sint boni, sivè mali,
 ita mundus in sacris amare dicitur quod suum est. Nunc
 strictissimè pro mutua benevolentia arctissimoq; amoris vinculo
 inter bonos ex virtute dependente. Et hæc postrema si-
 gnificatio hic potissimùm attenditur.

5. Amicitia igitur, quæ latinis ab amando ut Græ-
 cis *φιλία ἀπὸ τῆ φιλεῖν*, Suetice *Wanstop á Wan* quod
 non tantùm amicum sed etiam formosum amabilemq;
 significat) derivatur: *In strictâ, non strictissimâ acceptione,*
definiri potest, quod sit: Mutua inter homines efficax & ma-
nifesta benevolentia. De strictissimâ autem acceptione
 capienda videtur Definitio Piccolominei grad. 7. c. 3. ad fi-
 nem quæ sic habet: *Amicitia est proborum hominum mu-*
tuus, conspicuus, confirmatusq; amor, ex probitatis cognitione
consurgens, ad vita honesta conjunctionem perducens. Ubi
 etiam Plat. Cic. & D. August: definitiones videsis.

6. Dividitur Amicitia ab Ethicis variè; idq; 1. Ra-
 tione causæ externè impellentis seu *objecti*; quod est
 ipsum *amabile*: Quod cum in triplici sit differentia;
 amicitia etiam triplex oritur. Aut enim solius hon-
 nestatis gratia colitur, & *κατ' ἐξ ἀληθιν*, *honestâ* dicitur;
 aut propter oblectationem aliquam brevi transuntem
 initur, & *amicitia jucunda* vocatur, qualis inter Juvenes
 & adolescentes frequentior: aut ob externum Lu-
 crum, quo provectior atas magis delectatur, inita; *Utilis*
amicitia appellatur.

7. Hic quæritur 1. quænam harum specierum a-
 micitiæ præferenda? Pro utili amicitia sic argumen-
 tari licet: 1. *Quod utilissimum, illud optimum;* Sed utilis
 amicitia inter conspecies est utilissima. 2. *Et optima;* & sic per

consequens præferenda. Major prob, siquidem ex utilitate rei bonitatem metiri communiter solemus, tantum rem facientes quamlibet, quanti est usus. Minor ita biliter ex ipsa denominatione. Dicit enim requirit *inesse*. Et hæc amicitia species *καρ' ἐξ ων* utilis dicitur. Ergo utilitate cæteris antecellit. 2. Quod in amicitia à gravissimis authoribus præcipue commendatur, id præfissimum in amicitia eminet & præferendum: Sed utilitas in amicitia à gravissimis authoribus præcipue commendatur. E. utilitas in amicitia præcipue eminet, atq; ita utilis amicitia cæteris speciebus præferenda erit. Major est clara siquidem à testimonio, et si non adeo artificialiter; firmiter tamen arguimus affirmativè. Minor innitur cum alijs tum hijs. Socrates. Nullam possessionem fidei amico preciosiorem esse dixit, nec aliunde plus fructus capi aut utilitatis. Dion. Philos: Quot amicos paraveris tot oculos habes, quibus, quæ voles, videas: tot aures, quibus quæ deset; auidias: tot consilia: quibus de futuris deliberes. Item; ubi amici, ibi opes, inquit, Plaut: Huc facit illud Alexandri, qui interrogatus ubi Thesaurus haberet suos? Amicos digito monstravit. Et Micipsæ apud Salust. Non exercitus, neq; Thesauri; regni præsidia sunt, verum amici. Et similia quam plurima.

8. Pro jucunda amicitia sic pugnari potest: Id est præferendum quod humanæ naturæ aptissimum, gratissimum & beatitudini proximum est: atq; amicitia jucunda humanæ naturæ aptissima, gratissima & beatitudine proxima est. E. cæteris speciebus præferenda. Major suo robore satis invicta, probationis non eget. Minor etiam sat firma videtur. Ecquid enim humanæ naturæ congruentius, quam jucundâ amicorum conversatione frui? Quid acceptius hominibus quam jucundos habere convictos

res, qui quotidie exhilarent ac recreent? quid beatitudini ac felicitati vicinius, quam exoptatissimorum amicorum cohabitatione frui?

9. Hisce tamen à neutrà tertia species amicitiae, quæ *honestæ*, aliàs perfecta audit, vincitur; huic enim palmam meritò deferimus. 1. Quia qualis causa, talis effectus; & qualis fons ac scaturigo, talis rivus; At causa & scaturigo hujus speciei est ipsa virtus test: *Cic in Laliô* virtus conciliat amicitias & conservat. *Item* vera amicitia non nisi inter bonos esse potest. E. Ea amicitia quæ est stabilior, firmior ac diuturnior, ea procul dubio est præstantior: Sed *honestæ* amicitia est stabilior, firmior & diuturnior. *E. Major* sibi satis constat: *Minor* hinc patet; nam *utilis amicitia* ex utilitate quam amicus præstat, dependet. Quam facile autem fieri potest, ut qui hodiè utilis sit, cras nullum usum aut utilitatem ferat vel ferre possit. Ita qui nunc ob pulchritudinem, hilaritatem &c. Jucundus, facile ob contrarium vel aliquod impedimentum, sublatâ formositate, oborto dolore, nullam jucunditatem præstet. 3. Quæ species & proprium bonum habet, & reliquarum conspicietium bona continet, illa est omnium nobilissima. Sed *honestæ* amicitia, & proprium bonum habet scilicet *honestatem* & reliquarum bona includit; scilicet *utilitatem* & *jucunditatem*: Quid enim honesto amico in virtute correspondenti; utiliùs, quid jucundiùs? E. *honestæ* amicitia cæteris conspicietibus nobilitate præstet.

10. Ad Argumenta superius in contrarium adducta. Resp. in Th. 7, quæ pro *utili amicitia* adducuntur, de eâ utilitate exaudienda esse quæ *honestatem* non excludit. Aliàs enim quæ cum hac pugnant, ne utilia

quidem dicenda sunt. Ut pulchrè *Cic: in princip: Lib. 2. de officijs* disserit. Undè nec aliam amicitiam graves authores laudant, aut utilem statuerunt, quam quæ honestatem intimè conjunctam, imò pro fundamento habet.

11. Quæ in *Th: 2. jucunda amicitia* primas deferunt, eodem modo intelligenda veniunt: Viro scilicet bono & virtuoso nihil jucundum esse, quin idem etiam honestum sit. Neq; enim verus Philosophus ullam ex ullius conversatione aut amicitia voluptatem percipit, nisi quæ honestate nititur atq; conditur. Et sic patet *honestam amicitiam* cæteris omnibus præferendam speciebus; & propter hanc etiam illas admitti, licitè ambiri in honore & precio haberi. Ideoq; & hæc sola *perfecta* dici consuevit reliquæ *imperfectæ*.

12. Dispersetur 2. amicitia ratione subjectorum inter quos exercetur; ut alia sit *æqualis*, sive æqualium, conditione & dignitate; alia *inequalis*, seu inæqualium, è contra; qualis inter divitem & pauperem, Magistratum & subditum, nobilem & ignobilem. Quamvis enim ut canit Poëta. Non benè inæquales veniant ad aratra Juvenci. Ideoq; inæqualium amicitia non semper tuta, commoda & diuturna. *Syr. 13.* Inter in æquales tamè etiam veram dari amicitiam; Imò eandem in societate humana requiri, ut nisi vigeat nec œconomia nec Respub diuturnæ & firmæ esse queant. Non diffitendum tamen observantiam, reverentiam, amorem, concordiam, pietatem, potius & accuratius dici: ut etiam notavit *Piccol: gr. 3. c. 1.*

13. Distribuitur enim 3. etiam amicitia à causa *ωογηγυθ μδίν* in *voluntariam*, quæ liberâ electione suscipitur & inicitur; atq; in *necessariam* quæ necessitatis quorundam

dam vinculo continetur atq; dependet. Talis est inter eos qui non ex arbitratu ac delectu amicitiam exercent, sed *Societatis quodam jure conglutinantur* sive naturali; ut inter parentes & liberos, consanguineos & cognatos: *Sive Politico* inter Magistratus & Subditos. Quanquam uti jam ex *Piccol.* positum, *amicitia propriissime dicitur, conjunctio sit animorum inter aequales, atq; sic inter pares tantummodo locum habet.* Sed nunc quaestiones aliquot, quæ se hie de amicitia & amicis magno offerunt numero, breviter expendamus.

14. Quæritur 1. *Anne ad amicitiam necessaria sit conversatio, vel num etiam inter absentes locum habere possit?* R. repetendo distinctionem inter amicitiam *juvandam, utilem & honestam.*: *Augustin.* Lib: de amicitia primam carnalem ex voluptate ortam secundam mundanam ex utili, tertiam spirituales ex honesto indiget) postrema quia jure optimo & vera amicitia nominanda, etiam inter absentes quin esse possit, vix dubitandum. Siquidem arctissima & in virtute fundata sæpè inter longissimè distitos amicitia invenitur; secunda scilicet *Utilis* non tam facile inter absentes exercetur, nisi quatenus & illi in disjunctis locis sibi invicem commoda præstare & ex usu esse poterunt. *Jucunda* verò sublatâ conversatione paulatim & citius evanescit. Nec diu durat, nisi quatenus cum honestate cujus precium perpetuum conjuncta est.

15. Oggeri tamen potest, etiam ad honestam amicitiam conciliandam amicorum præsentiam requiri; cum sine illâ virtus utrinq; perspicere & probari nequeat; quæ hujus fundamentum, & virtutis faciem non corporeis oculis cerni; Ideoq; etiam non dubiâ famâ cognosci posse, proinde etiam inter eos qui se invicem nunquam viderunt, propter virtutes utrinq; claras, ar-

ctissi-

Arctissimam vel per literas & inter nuncios sæpè contrahi
amicitiam; Quod exemplo non pauca satis edocent.

16. De numero amicorum 2. Quæritur; *Quantus is
esse possit & merito debeat?* R. Quanquam multis simul
prodesse & gratificari, propter diversa hominum vota,
longè difficilimum sit: Unde & *Plutarchus* in lib. de
multitudine amicorum non inicitè dixit: *Copiam ami-
corum parere inopiam eorundem.* Quatenus tamen omnia
ad honestatem referenda, in quâ plures viri boni opti-
mè conspirare potuerunt; plures etiam amicitiam firmam
inire prorsus non impossibile statuendum. Ar-
ctissimam nihilominus inter pauciores & præsertim *diu-
os* vigere non diffitendum. Hinc illud *Seneca* *Benignus
esto cunctis, blandus nemini paucis familiaris.* *Multitudo enim
divisionem aliquam communiter secum trahit.*

17. Quæri solet 3. Qualitèr Principum & Magna-
tum amici se gerere debeant? Sed cum hic per Princi-
pum amicos ipsi intelligantur consiliarij, hæc informa-
tio ad *Politicam* potiùs reiicienda; de qua etiam *Disput:
Pol: 4. Th. 17. actum.* Aliàs amicitia Regum & Princi-
pum, quatenus & illi conditione pares, iisdem judicatur
legibus, quibus privatorum. Ut nimirum optimè si-
bi invicem cupiant; Commoda invicem promoveant,
amicum non secus ac se ipsos diligant.

18. An verò *Amicus amico maxima bona optare debeat?*
4. *indubium vocat Arist:* Quod sic negat: si alterius con-
ditio nimis exaltetur, amicitia facilè disrumpetur. Nos
verò Christianâ charitate imbuti etiam maxima quæq;
bona optanda. Et verum amicum ad quemcunq; gra-
dum evehctus fuerit, pristinae amicitia non oblivisci
haud dubitamus, *Politice* tamen potentiorum amicitiam
ut leoninam, formidolosam nonnunquam esse non ne-
gamus.

19. In quaestionem etiam venit, *s. Utrum praestantius sit amare an amari?* R. Quamquam amare, ut actio, praestantius sit, cum omnis virtutis laus in actione consistat: *Teste Cic. 3. off.* Quatenus tamen amari ob virtutem & merita (ubi de honesto amore sermo est) contingit, amari quàm amare laudabilius & praestantius esse tenemus. Amare enim quilibet potest; amari tantùm ijs contingit, qui donis amorem ritè excitantib⁹ instructi sunt contingit. Nihilominùs tamen & hic observandum, si is tantùm intelligatur amor qui cum maturo fit iudicio & prudentiâ; Non minus laudabile esse amare quàm amari. Quo sensu *Seneca dixit: Solus sapiens scit amare, solus sapiens est amicus.*

20. Solet hìc etiam quaeri *6. An beneficium est gratis referenda utilitate accipientis, an beneficentiâ, sumptu, labore atq; operâ dantis aestimanda sint est metienda?* Item *7. An qui beneficium dat, an qui accipit, aestimare idem debeat?* Nec non *8. Quanti beneficiarius acceptum beneficium pendere debeat?* Sed hae quaestiones ad materiam de Liberalitate & Beneficentiâ potiùs spectare videntur. *Respons* detur tamen breviter ad illam; utriusq; & dantis & accipientis esse beneficium suo modo aestimare. Animus interim dantis potissimùm spectatur; prout supra de Liberalitate decisum. Ad istam; paritèr: Accipienti tamen aestimationem, ex merâ liberalitate dantes relinquere videntur. Cum nullam retributionem paciscantur, aliàs enim liberalitas non est. Alia verò benecencia ut in mutuo aliove auxilio aliter se habent. Nam talia & à collocante & accipiente suo modo aestimantur. Huius potiùs est exaggerare, & depradicare; Illius extenuare & excusare, modestè tantum. Ad hanc; Quanti beneficium tum erat, cum in indigentem

B

colla-

collatum fuit. Non quanti antea vel post modum videri possit. Plura apud *Heiderum* legantur *Philos. moral. part. secunda de amicitia.*

21. Ut & illa quaestio, 9. *Utrum potius amico in viro bono, cum quo alias nulla necessitudo vel amicitia vinculum intercesserat, succurrendum sit?* Ad iustitiam referenda videtur, & ex ejus legibus decidenda; Quae suum cuique tribuere mandat. Amici tamen potioem & prius habendam esse rationem, haud absurde concludi videtur; Siquidem & ille vir bonus. Sed copiosius etiam de hac *Volfgangus, Heiderus cit. loco ex Aristotele* generatim & speciatim respondet. Summatim autem notandum & hic, ut in alijs actionibus, omne punctum circumstantias ferre. Ideoque diligentissime observandas. Ne praetextu amicitiae humanitate exuamus; vel e contra.

22. Movetur quoque quaestio 10. *Anne etiam in amicitia sive inter amicos lites aut dissidia ulla locum habere queant?* Neg: dist: inter veram amicitiam & fucata, sive non veram & analogam. Ibi nulla dissidia, nullae lites, nulla jurgia. Hic vero ubi propter lucrum vel oblectationem frivolam amicitia contracta est, interruptione aliquâ factâ commodi vel jucundi, amicitia simul inter turbatur, & in contentionem atque inimicitias vertitur.

23. Sed obijci potest: *Idem etiam in verâ amicitia contingere.* Nimirum ubi amicitia in virtute fundatur, & propter honestatem mutus est amor. Ecquis enim hominum non aliquando delinquit? Et sic cum delinquens reprehenditur & carpitur, jurgium fit atque dissidium. Amicum enim peccantem reprehendere, non est contra amicitiae leges; Sed potius veri amici officium atque iudicium. Ideoque etiam hic jurgia & discordiae locum habent. Et, Tritum est illud: *Amici vitia no-*

vis non oderi. Verius autem; vitia oderis, non homi-
 nem. Amicum igitur amicè monere, modestè eti-
 am reprehendere, sine felle tamen & acerbitate, contra
 amicitiam non est. Neq; à viro bono & vero amico
 id in sequiorem partem acceptatur, nedum jurgia cons-
 citat; Sed potius gratiarum actionem meretur & fidu-
 ciam auget. Prout *suprà Dissertatione 10. Thesi 28.* est de-
 claratum. Causam insuper diversitatis non inelegan-
 ter assignat *Casus in speculo moralium Quæstion: Lib. 8. cap.*
13. in fine. Hisce verbis: Inter perfectos amicos non contingunt
 dissensiones, propter similitudinem morum, consensum virtutis, constantiam
 & proportionem amoris; Fructum quietis, quæ est effectus veræ amicitiz.
 In amicitis propter voluptatem & utilitatem causa sunt contrariæ, ideòq;
 perpetuz eriminationes & querelæ. Nam hic non est similitudo morum
 sine cæditi, non est consensus virtutis sine vitio, non est constantia amoris sine
 levitate, non est fructus quietis sine contentione..

24. Hisce affinis est & illa quæstio II. *An ira amano-
 rium amoris redintegratio sint?* Ut tritum illud Terentij
 habet. *R.* ex *Piccolom.* gradu 7. cap: 21. Verum esse de
 irâ ex levi causâ ortâ. Et insuper de amore lascivo
 (quem quoq; Poëta innuit) solam quærente volupta-
 tem, in quo amore querelarum & iræ variæ locum ha-
 bent occasiones; à quibus indignationibus cum nos
 eâ voluptate privemur, quam summoperè optamus, in-
 quit, evenit ut nos ob indigentiam vehementiùs in eam
 feramur, dulciùsq; illâ fruamur, non secus ac dum ali-
 quamdiu tenemur ne aërem inspiremus, mox vehe-
 mentiùs illum ducimus ac anhelamus. At in amore
 ad amicitiam pertinente, non querelæ locum habent (*ut
 jam offensum*) solum hoc experiamur; quòd dum amici
 consuetudine per dies aliquot privamur, mox dulciùs
 eâ fruimur. Privatio enim ea est, per quam possessio
 serum nobis redditur dulcior & jucundior. Hæc ille.

Dementium verò est illa assertio. *Non iniri firmam amicitiam, priusquam inimicitias aliquando acerbas gesserint, & vires in conflictu invicem experti sint.*

25. *An verò amicum plus quàm se ipsum diligere oporteat?* **12.** Etiam quæri potest & solet: Hic imprimis præsupponimus licitum esse seipsum diligere, at moderate & secundum DEum, suaq; commoda licite & honestè promovere, juxta illud *Apostoli ad Ephes: 5. v. 29.* *ὁ ἑαυτοῦ ὡς ἑαυτόν, ὡς ἑαυτόν, ὡς ἑαυτόν, ὡς ἑαυτόν.* Id est, Nullus enim unquam suam ipsius carnem odio habuit: Imò nutrit ac fovet eam. De quo fusè Piccol: cit: gr. 7. c. 21. & seq. De hinc R. ad quæsitum: amorem tum esse perfectum & amicitiam sufficientem, cum talis est qualem DEus in verbo suo S.S. requirit. Jam autem id solùm exigit, ut proximum sicut nos ipsos diligamus. *Matth: 22. v: 40. Marc: 12. v. 31. Luc. 10. v. 27.* Ergò amor in amicitia tantus sufficere videtur, quanto nos ipsos prosequimur. Quod verò interdum amor in amicitia eò ascendat, ut propriam salutem amicorum salutis postponamus, ut cum quis pro uxore, liberis, fratribus, alijsve amicis & ipsâ patriâ, vitam profunderet & quævis pericula adire non dubitat: Id *heroicum* potius & à certis circumstantiis dependens, summas laudes meretur, atq; specimen fortitudinis est.

26. Quæritur tandem **13.** *An amicitia honestè dissolvantur?* R. distinctè. Aut enim gluten veræ amicitia, virtus, permanet, ac tum amicitias disfluere non decet: Aut alteruter amicorum à tramite virtutis desciscit; nec emendationem, licet subinde tentatam, admittit: Quo casu amicitia honestè renunciatur. *Ne cum imis probis jugum trahamus.* Et potissimum gravis causa est

dis-

disrumpendi amicitiae vinculi, si amicus vel familiarissimus, aliquid inhonestum petat, utpotè fallere, mentiri, luxuriari, adulterium, furtum, homicidium, &c. committere. Hic enim elegans illud *Perichlis* succurret: *Oportet me adesse amicis, usq; ad aras.* Nam cum amicus eum rogaret (scribit Aul: Gell: Lib: 1. cap: 3.) ut pro re causaq; ejus falsum dejeraret, his ad eum verbis usus est: *Δεῖ μὲ συμπαρῆσαι τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μένος θεῶν.* Quin igitur amicitiae in tali casu honestè dissolvi ab infanti parte possint vix dubitandum. Quamvis etiam aliàs propter locorum distantiam, inæqualitatemq; conditionis supervenientem, amicitiae exercitium non parùm labefactetur atq; inumbretur.

17. Ultimò etiam & 14. Quærerelibet; *Anemutatâ fortunâ amicitia simul prorsus intereat?* Notum quidem & tritum illud *Ovidij*

Donec eris felix, multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila solus eris.

Et iterû: *Horrea formicæ nunquam ad inania tendunt;*
Nullus ad amissas ibit amicus opes.

Unde plerumq; ita contingit, mutatâ sorte, mutantur amici. Id tamen in *verâ amicitia* non fieri certum habemus. Fortunæ enim permutatio experimentum est veræ amicitiae. ut pulchre scribit *Piccol: grad: 7. cap: 26.* Dum enim in utrâq; fortunâ firmitè servatur amicitia, veram & infucatam ab initio fuisse dilectionem rectè judicatur. Sin minus; adulationem potius quàm verum amorem fuisse conijcitur. Quamvis enim conditionis imparitas, locorumq; distantia, æqualem & quotidianam conversationem & amicitiam non admittat sed impediat, omnem tamen prorsus non tollit

atq; extirpat. Absens enim absenti *benè cupere, benè precari, consentire, compati, imò & benefacere* nonnunquam potest; quæ præcipua sunt amicorum officia. Superior ad sublimiorem conditionem euectus, inferiori favore ejus commodis invigilare ac patrocinari potest: Sicq; *benevolentiam & beneficentiam exercere*. Inferior & tenuioris fortis superiorem venerari, honorare, colere, magnificere, laudare, atq; vel ita amicitiam, si ulla unquam vera extiterit, continuare in proclivi erit.

28. Atq; hæc de AMICITIA, hæc vice posita sufficient: Quam *Empedocles*, antiquus Philosophus, *Primum rerum principium statuit*. Ut *Hesiodus* amorem primo chaoti inspiratum tradidit. Et *Piccol: gr: 7. cap: fin:* amicitiam boni quandam fecunditatem, ex solo DEI Omnipotentis amore manasse universum, sua perfectione donatum, cunctaq; latenti quodam & admirabili amoris nodo fuisse ligata, inquit. Unde *Mundus* nihil aliud esse videtur, quam *rerum ordinata, amoreq; colligata compages*. Proinde non injuriâ Arist: majorem in Repub: amicitia quam justitiæ necessitatem esse dixit. Si enim illa vigeat, hujus non futurum adeò magnum usum, litibus scilicet ac jurgijs deficientibus. Sublatâ verò amicitia & dissidijs ubiq; vigentibus, nulla unquam justitiæ administratio ab homine sufficienter adhiberi possit. *Oigitur felix hominum Genus, ut Boëtius canit, si vestros animos amor, Quo Cæsum regitur regat*. E contra; ô miserimos inter quos juges inimicitia, i.e. *Manifesta & mutua malevolentia, invidia, nocendi cupiditas &c. frequentantur*; Quæ ut Diabolum parentem & Authorem agnoscunt; Ita amicitia, concordia, iuvandi exhilarandiq; Audium DEO & Sanctis Angelis familiare, ab omnibus piis colitur, & in perpetuas æternitates continuabitur.

COROLLARIA.

I.

Commodum & legitimum amoris remedium, non erat quod Antoninus Pius Imp: pro compescendo æstu filiæ adhibuit. *Pet. Crinitus lib: 2. de honestâ disciplinâ casum sic refert: Faustina Antonini Pij Imperatoris filia gladiatoris amore nimio tabescebat, tum Imperator consultis Chaldaeis & Mathematicis decrevit, ut occiso gladiatore, quem illa maximè deperibat, ejusdem cruore epoto se sublevaret. Quo facto Faustina amoris contagio liberata fuit. Hoc inquam remedium pium, bonum & legitimum non fuit, utcunq; aliàs bonus & pius Imp. nimis quippe violentum & parti insonti noxium; atq; sic honestate caruit. Cum illa potius severis admonitionibus, inedia & refrigerationibus, alijsq; castigationibus, & loci separatione honestius curari potuisset.*

II. Qui semel fuit amicus, utcunq; dissolvatur amicitia, *Non est eo loco habendus ac si nunquam fuisset. Nisi enorme flagitium aliud svadeat. Honestas enim & publica utilitas omni amicitie vinculo jure venit anteponenda.* Conf. Cic. Læl.

III. Contraria seu opposita amicitie, *quatenus virtuti affinis est, sunt κολακία seu adulatio & assentatio in excessu; ἀγρωτήτης, rusticitas seu morositas in defectu, quæ ad omnem amicitie usum ineptos reddit. Aspasius in explanat. Cap: 1, Lib: 8. Ethic. Ni. om: & Magirus eodem loco.*

PARER.

P A R E R G O N .

Leges VVestgothorum in rerum naturâ extant. Stultum videbitur, id quod in archivo Regni asservatur, multorumq; manib; *platur*, in rerum naturâ dari, argumentis probatum ire. Nisi *D. Ol. Wor: tref, Haf:* in not: ad deser: limit: inter Svec: & Dan: Messenio insultans scripsisset: 1. *Messenium Selandicas l. s nequiter pervertisse.* 2. *Et l. s. Westgothorum, ubi in rerum naturâ extant, aut extiterint nondum docuisse.* At utroq; Messenium fasce levabo. 1. West: l. s bonâ fide & pertinentèr allegans, Selandicas nequiter pervertisse jure non dicitur; Atqui Messen ex l. V Vest: tit: de Reg. Konung; *Bolkâr* hæc verba allegans: *Dana Kolmer* at *skipt i tre löte/ A cen loe Upsala Konung/ annan a Dana Konung/ Eridie los a Noregs Konung.* Da är stammâ terrâ *war/ ta hale Dana Konog i begre Upsala Konong; an Noreg Konong i stadh hane.* Et bonâ fide, vertit & pertinentèr in spec: c. 2. citavit. (inspectio ocularis probat:) E. l. s Selandicas nequiter non pervertit. Quod erat demonstrandum.

2. Leges West: fuisse & jam esse nrmant: primus Legislator, *Lumber/* unde *Lumberlagh* dictæ, in ipso paganismo; ut series Legiferorum ibidem habet; Gens cui latæ; ecclesia, territoria & limites aliâq; loca & bona inibi recensita, variaq; exemplaria adhuc extantia. Nec quicquam obstante; quod *l. s Regni Svec:* (ut ait *Worm:*) *publici juris factæ, ex particularibus singularum provinciarum excerptæ sint; Et nullum ibi harum vestigium.* Quamvis enim ius commune ex particularibus ante ann: 208. compositum sit: Non ideo tñ, leges particulares omnes è circo naturæ sublata, ut non sint, licet usu non observentur. In communi autem iure & legisterio, non modò vestigia, sed ipsissima legum VVestgot: verba, & phrasæ occurrunt. Tit. de hæred: de Nupt: de fundis *Jorda B.* &c. quod cuius insipienti & intelligenti obvium est. Immeritò igitur Messenius h. l. tam acerbe carpitur.

F I N I S .

